44/572

SALAMANDRAM

super

Triplici Ararum Foco,

HARUSPICUM,

Titulos, Officiis atq; Meritis, transgredientium,

DN. JOH. HIERONYMI WURFFBAINII, JCti,

in Sereniss. ac Celsſ. Principis ac Marchion. Brandenb.
Baruthenſis Judiciis, Aulic. & Feudal. Advocati
famigeratisſimi.

DN. GEORG. ABRAHAMI MERCLINI, G. A. Filii,

Medici & Phyſici Reipubl. Norimb. felicisſimi.

DN. JOH. CONRADI BÜTTNERI,

ante dictæ Reipubl. florentiſs. à Secretis Provincialibus, meritisſimi.

DOMINORUM,

Patrui, Patronorum, Cognati, Curatoris, Promotorum & Fautorum ſuorum,

IGNIBUS

Affectûs, Benevolentiæ, atq; Favoris
amicabiliter experiendam
devovet

J. P. Würffbain, Norimb.

CARMINA
Patronorum, Fautorum & Amicorum.

I.

CUncta Elementa fovent *Salamandram*, hinc
Symbola multa
Doctores Sophiæ & myſtica Signa petunt.
Cuî decus ac triplex Doctrinæ æs pectora cinxit,
Illi ignis, tellus, pontus & aura favent:
Macte hâc WURFFBAINI, ſublimia pulpita ſcande,
Signa Tui Ingenii queîs Salamandra dabit.

Ita præclaris conatibus Doctiſſimi
DN. RESPONDENTIS, *Auditoris & amici ſui carisſimi, boni omi-*
nis ergò applaudebat

MAURICIUS HOFFMANN, Med. D.
& P. P. h. t. Fac. Med. Decanus.

II.

UT Salamandra *potens, nullisq; obnoxia flammis*
Dicitur in Medico carmine Sammonici;
Cujus quadrupedis vermis variamq; figuram,
Naturam & vires, myſtica, Symbolica,
WURFFBAINI, *Theſibus doctis complexus, Ami-*
Exercens dotes indolis egregias: (ce, es,

Sic

Sic Tua ſedulitas non eſt obnoxia damnis;
Quin potis eſt laudis ferre perenne decus.

Τῆς Φιλίας ἕνεκεν
ἐυ διωνισάμῳ &c.

JACOBUS PANCRATIUS BRUNO,
Phil. & Med. D. hujusq; Prof. Publ.

III.

Eximio & Literatiſſimo

DN. RESPONDENTI,

Amico ſuo chariſſimo.

Ὅς δυάσαι ὀρθῶς εἰρημάα ἶφι φυλάσσειν,
Οὗτος Ἀπισαμίδω τέκνομα ἀνδρὸς ἔχῃ.
Ἀνδρὸς Ἀπισαμίδω, φίλε, σοὶ ἁρμόζεται εὐχος.
Ἶφι γὰρ ἀνλιπάλως οἶδας ἐλεγχεμάα.
Δόξα νέῳ πέλῃ, ἀνδραγαθεῖν καὶ ἶφι μάχεσθαι.
Ἐκδέχεται νίκη ἱμερόεσσα μάχλω.
Ἤδεο τῇ νίκῃ, φίλε τίμιε, ἠδὲ πέπεισο,
Ταύτλω τλῶ νίκλω σοὶ πολύλιμον ἔμεν.

De hoc literario ſpecimine
ex animo gratulatur

G. MATTH. KÖNIG,
P. P.

IV.

EUge! bonum Factum: placet hic Salamandrius *auſus,*
Uſus non paucos is Tibi, crede, dabit.
Ut Salamandra *potens, flammas eſt vincere dicta;*
Sic Tua Sedulitas vincere quæq; poteſt.

Perge igitur tali Studiorum tædia nisu
Vincere; velabit coccina Mitra *caput.*

Eruditissimo
DN. J. P. WURFFBAINIO
Affini suo longè charissimo,
etiam,
sine fucato plerumq; Titulorum palpo,
omnium Literatorum favore dignissimo,
isthoc ἐξαστίχῳ
animitus gratulatur
D. G. MOLLERUS, Histor.
& Metaphys. P. P.

V.

SALAMANDRA Tibi, Perdocte WURFFBAIN, cur placet?
An ut Tuæ exseras decus facundiæ,
Et mentis altioris aciem fulgidam?
Sic est: silentis se negat famæ tegi
Nocte vigor ingenii igneus, sed omnibus
Erumpit ex latebris, Minerva dum diem
Pugnamq; Apollo dicit. Ergò mi bone
Descende mox in prælium istud nobile,
Et lauream objectam refer ab æqualibus,
SALAMANDRA Tua sic igne non cremabitur!

In honorem
Nobiliss. DN. RESPONDENTIS
bono omine plenus
scripsi.
Joh. Mauricius Hoffmannus,
Phil. ac Medic. D.

VI.

QUod *spernat* Salamandra *rogos*, *non credimus omnes;*
Descriptâ verùm credimus esse Tuâ.

Sed

Sed non contemnit ſolas ea Dædala flammas,
Interitûs vincit quodlibet una genus.

Ita præclaris Doctisſimi atq; Politisſimi
Dn. Respondentis, Cognati dulcisſimi, conatibus applaudit

M. G. P. Rötenbeccius, Alumn.
Noric. & Oeconom. h. t. Inſpector.

VII.

AUrum flamma probat, Vulgo *Salamandra* putatur
In flammis vitam ducere poſſe ſuam.
Ingenii *Salamandra* Tui decus igne probabit,
Qui magis huic vitam quàm ſua flamma dabis.
Auguror, ut flammis annoſa renaſcitur ales,
Splendor ab hac ſurget nominis igne Tui.
Tuq; per has flammas, per Te *Salamandra* vigebit,
Et vitam & famam qui dabit accipiet.

fr. fr. f. Argentor.

Sigismundus Ludovicus Wurffbain.

IIX.

QUos bonæ mentis generoſa tangit
Indoles, ut non fugiant labores
Improbos, illi facilè altiora
Quæq; capeſſunt.
His enim verè patet ille honoris
Campus: Hos dignis cohoneſtat alma
Laudibus VIRTUS, *ſua nec laborì*
Præmia deſunt.

Exiguum hoc metrum Nobilisſimi Dn.
Wurffbainii conatibus egregiis
ſacrabat Altdorffi

Juſtus Gerhardus Rincke.
IX. Dum

IX.

DUm ſteriles hominum curas plebisq; profanæ
Segnitiem pertæſus, ad ardua munia ſurgis:
En Charites Genium, virtutis amore coruſcum,
Accendunt flammis pulcro ditantq; brabeo.
Scilicet ingenuæ generoſior indolis ardor,
Nil humile abjectumq; ſapit, ſed Nomina faſtis
Perpetuis mandat, titulisq; coronat amicis.
Ergò age, felici curru capitolia ſcande,
Flos Juvenum pulcher, mentis melioris alumne:
I recto niſu ſanctam virtutis ad arcem,
Sic præſens ætas, & gens futura nepotum,
Vim meriti agnoſcet, tolletq; ad ſidera Nomen!

Sic Nobiliſſimo DN. RESPONDENTI, *Amico ſuo omnium optimo gratulabundus acclamare voluit*

J. W. Bilger. M. F.

X.

HActenus illæſam Tu *quando* cremas Salamandram
Efficis ut Phœnix pulvere ſurgat avis.
Nempe aterna Tuos *celebrabit Fama* labores,
Quam non livoris flammula perdet iners.

Tumultuaria hac poëſi Nobiliſſimi ac Per-Eximii DN. Fautoris & Amici ſui labores circa Diſp. *de Salamandra* occupatos; inter convaſandum, proſequi voluit jam jam abituriens

Johannes Mayer, Modorâ Hungarus.

D

E

F

F

G

H

K

A

FRANCISCVS I. FRANCO RVM REX

B

C

Ad nive gelitz. is in Bruck Cornu Lit.

PER
IGNEM

Salamandra ignem, qui cæteras perednt. Alterius vivere morte vidi.
Tantum est

I. S. N. J!

PRÆFAMEN.

INfantissimus meritò sim, eâ si opinione indutus Veteribus abblandirer, quasi omnia sua quà Historiarum quà Rerum aliarum monumenta ex ipso semper Pythii Apollinis oraculo depromsissent: quin melius fortè existimaverim, Antiquitatem nonnunquam, *secundùm* ARNOBIUM *Afrum, quem* J. LIPSIUS *Epistol. Cent. I. Ep. XLII. post Tertullianum inter sacros Scriptores doctissimum vocat, lib. I. Disp. adv. Gent.* pleniſſimam esse Errorum matrem. *Siquidem ut Ætas illa simplicior in plerisq; credendus, modò metu venturi alicujus pœnarum mali; modò lætitiâ singularis ex Jovis urnâ adipiscendi Boni; modò alterius cujusdam Rei futuræ spe atq; cogitatione ducebatur; ità facilè astutulorum ingeniorum commenta, & fabulares quorundam Monachorum historiolas in animum admittendo, illis etiam Veritatis exquirendæ Mediis defraudata fuit, quæ aliàs benignissimus diribitor* DEUS *per Naturam unicuivis Mortalium quàm benevolentissimè largitus est. Nempe pulchrum olim habebatur, fidem tribuere, non tantùm vanissimis quibusvis plebeculæ rumusculis, sed & apertis haud rarò liquidisq; mendaciis, emolumentum aliquod præ se ferentibus aut saltem aurium delinimentum. Hinc tot Veritatis nebulæ, tot offuciarum mangonia, tot piæ fraudes, (in quas, præ aliis Scriptoribus, gravissimam censuram in fronte Vitæ Hieronymi* ERASMUS *edidit, omninò legendam,) assiduè proseminatæ sunt: Hinc Genealogicas Mundi Procerum tabulas, sub Junoniæ illius specioſissimæ Alitis alis latebrosè occultatas, in infimam Noachicæ Arcæ contignationem depositas fuisse, audentiùs confingebatur. Neq; aliud ferè de plerisq;* Mirabiliariis *illis Augustinianis,*

h. e. Miraculorum & Portentorum Scriptoribus, judicium ferendum erit, quàm quod GERH. JOH. VOSSIUS, Vir ille mirabilis, *secundùm* SAM. BOCHART. *Geograph. Sacr. p. m. 485.* de quo meritò dubites, utrum majorem à Doctrinâ & Ingenio, an à modestiâ laudem mereatur, *in Theolog. Gentil. p. m. 184. verissimè pronunciavit;* Indorum Scriptores maximam partem mendaces fuerunt: Vulgus quippe, *ut Experientia testatur*, superstitiosum, plus plerumq; fingit quàm invenit, quod omnia mira credat, quæ tuguriis minùs sint frequentata. *Quid jam de nugatoriis illis Scriptis, ceu* TANAQUIL. FABER *in Epist. ad Joh. Chabrolium, ea nimis quidem abjectè nominat, quæ vulgò sub* Sibyllarum *nomine leguntur, inde usq; à secundo Christianismi seculo (sive impostoram facientium effrænem audaciam, sive patientium securitatem planè deplorandam, spectare libeat,) infelicissimo, ad nos derivatis, hinc inde in orbe itidem literario, increbuerit, si fortè, quod vix existimem, cuipiam inexploratum esset, certè è* DANIELE CLASENIO, *integro de Oraculis & Sibyllis edito volumine, ut &* DAVIDE BLONDELLO, *singulari de Sibyllis Gallicè perscripto libro,* BALTHAS. *itidem* PORRENO *in Sibyllarum Oraculo,* ONUPHR. PANVINIO, *de Sibyll. Dialog. secundo,* CASAUBONO *Exerc. 1. contr. Baron. sect. 10. cap. 11.* ERASM. SCHMIDIO *Dissert. de Sibyll.* BARTHIO *Adversar. l. 9. c. 11.* M. ZUER. BOXHORN. *Hist. Universal. p. 12. seq.* POSSEVINO *in Apparat. Sacr. Tom. 2. fol. 400.* LACTANTIO *in Lib. Rer. Divin.* SALMASIO *in Exercit. Plinian.* GIRALD. *in Histor. Poët.* JOH. WOLEFIO *Centur. 3. Lect. Memorab. aliisquè hujus Argumenti Autoribus, ad satietatem innotesceret. Sanè, quin Sibyllina illa Carmina, quibus suffarcinati contra Gentiles incedebant multi Veterum,* ἀνοσολίμαια *sint, nemo sanæ mentis negabit; uti* C. A. RUPERTUS *in Epist. ad M. Sebald. Snellium scripsit, quæ legi potest in* C. ARNOLDI *Testim. Flav. Joseph. p. 63. Nihilominus tamen cum* JOH. JAC. GRYNÆO *in Præfat. Monument. Patr. Orthodox.* τὸ ἐπέχειν *amplector, atq; ut Scriptura loquitur, unicuiq; suo hac in Re sensu abundare licet. Nolo nunc etiam ad nomen quamplurimos ex eo Scriptorum genere citare, qui Divina quæq; fabulis haud rarò spurcissimis contaminavere:*

adeat,

adeat, cui volupe hæc talia nosse amplius fuerit, Orpheum, Homerum, Hesiodum, Callimachum, Ovidium, Natalem Comitem, Ravis. Textorem, *aliosq; quàmplurimos: Certè haud paucos antiquitùs in* Θεογονία *contexendâ occupatissimos fuisse, præter* Theophrasti *atq; aliorum Philosophorum* Opera περὶ Θεῶν, MACROBIUS *pariter, ut plures reliquos silentio involvam, lib. 2. Saturnal. qui* Æmilium *quendam* Macrum *Theogoniæ Autorem inducit, atq;* SERVIUS, *vetus Virgilii interpres, qui* Labeonem *aliquem de Diis Penatibus scripsisse ait, atteſtari queunt. Judæi, tantùm abest, ut à fabulis immunes pronunciandi sint, ut hac quidem in parte, vel Græcis ipsis dubiam facere palmam videantur: Quid enim de* Thalmude, *Pandectis eorum famosissimis censeri debeat, [cui licet tantùm Judæi quidam hodierni deferant, ut dicere quoq; non reformident, Deum ipsum singulis diebus horas quaternas lectioni ejus impendere,] vix æquiorem* PHILIPPO MORNÆO, Plessiaci Domino, & ut Thomas Lansius in Orat. pro Gallia, inquit, Doctorum nobilissimo, & Nobilium doctissimo, *judicem reperire nobis licebit, qui cap. XXXI. de Verit. Relig. Christian. In Thalmude, inquit, non occurrunt nisi meræ ineptiæ, aniles fabulæ, impia commenta, pleraq; aut absurdiora quàm ut à pueris credantur, aut nequiora, quàm ut confingantur à Viris, & quorum vel Diabolum inventorem pudeat. Scilicet ipsa Mendacia à Rabbinis prolata, ceu Delphica dicta, Judæi Apellæ admittere coguntur, uti quidem* R. SALOMO JARCHI *super Deut. XVII. vers. XI. scriptum reliquit:* אפילו אומר לך על ימין שהוא שמאל ועל שמאל שהוא ימין ולו׳: *i. e. Etsi Rabbi diceret Tibi: Dextram esse Sinistram, Sinistramq; esse Dextram, non recedes tamen à verbo, quod annunciaret tibi, neq; ad dextram, neq; ad sinistram: Uti quidem hæc eadem sententia in Thalmude* Masséches Schábbas, *c. 2. in historia cujusdam* R. Hillel. & נ״ל *asserta extare dicitur.* Ad scientias demum adq; bonarum Artium disciplinas *animum intendens, nescio, an quicquam tot ambiguitatibus, vanitatibus, mendaciis, offuciis, fallaciis, idq; generis fraudationibus aliis repletum sit in Universo: perlegat modò aliquis, cui otium animusq; fuerit, Sententiarios, Summulistas, Quæstionarios, Quodlibetarios, Thomistas, Scotistas, Occamistas, Mayronistas, Bielistas, Durandanos, Bonquin-*

quanos, Paludanos, Raymondanos, Alesios, Holcottos, Bricottos, Maffrettos, Bruleferos, & ejus furfuris alios innumeros Doctores Angelicos, Cherubicos, Seraphicos, illuminatissimos, profundissimos, irrefragabiles, aurea candelabra, SS. literarum gazophylacia, Puteos divinarum Scripturarum, Mundi radios, Literarum Oceanos, Fontes Vitæ & Monarchas Theologorum, omnes Apostoli judicio Tit. III. v. IV. Stultorum stolidissimos; uti videre est apud Academiæ Witebergensis instauratorem Dn. Abrah. Calovium, ceu à Joh. Andr. Quenstedt in Dialogo de Patriis Illustr. Vir, p. 258. hoc titulo exornatur, Præceptorem meum, dum Witebergæ literis operam darem, fidelissimum, in Method. Docend. & Disp. p. 797. *Obscura ubiq; dubia, intricata, inutilia, perniciosa, speculativis maximè in Scientiis, curiosus indagator deprehendet; ita quidem, ut res hodie difficillima sit, indagare Veritatem undiq; ferè à mendacio circumventam. Quanquam ætati nostræ,* Schoockio, *Viro ingenii vastissimi & exasciatissimi, interprete, meritò gratulari possumus, quod Medicinæ, Naturali Philosophiæ, Astronomiæ, Geographiæ & Opticæ, non Faculæ aliquæ illuxerint, sed novi Soles exorti sint. Tantum obscurè ex unaquaq; harum disciplinarum fugatum, tantùm falsi debellatum, tantum veri non quidem ex decantato illo Democriti puteo, sed ex ipsius Naturæ penetralibus, per Virorum diligentissimorum accuratissimas observationes, productum est!* In Studiis *maximè* Humanioribus, *quid hac nostra tempestate præstitum sit, præstariq; laudabiliter etiam num possit, edocebunt nos versatissimi quovis in Artium genere Viri,* Acontius, Aretinus, Balbinus, Barlæus, Buchnerus, Campanella, Caselius, Clapmarius, Comenius, Crocius, Crocus Jesuita, Chytræus, Erasmus, Fabricius, Faber, Focanus, Foxius, Grotius, Gruterus, Heinsius, Heidmannus, Helvicus, Heurnius, Huartus, Junius, Lipsius, Marnixius, Mechovius, Mommerius, Naudæus, Nies, Scaliger, Schottus, Scioppius, Siberus, Smidius, Sturmius, Turnebus, Verrepæus, Vives, Vossius, Vultejus, Walæus, *qui omnes, unà cum innumeris aliis eruditissimis Ingeniis, quàm diligentissimam operam locavere in eradicandis, quæ superioribus seculis sensim irrepserunt, Errorum senticetis; in exantlandis, quæ*

quæ Monachorum ſtupiditate intumuerunt, Figmentorum ſentinis, & in depellendis, quæ Scholaſticorum ſimiliumq; hominum otioſorum vafritie orbi literario incubavere, Terminorum obſcuritatibus. Hanc ob cauſſam in crimen vocandi minimè fuerint, qui, noſtrâ quidem iſtâ ætate, ſolicitiùs expenſis Veterum Codicibus, non ilicet calculum ſuum omnibus in iisdem contentis adjicere præſumunt: Quis enim mendacium non eſſe mendacium, modò ab antiquo aliquo Scriptore ante plura ſecula prolatum ſit, aſſerere audeat? Quis propterea, quod Antiquus ita ſcripſerit, verum eſſe aliquid aſſeveret? Quamvis vetuſtarum narrationum commenta ſi reſpicias, publicè intereſſe videatur, ea publicè à promiſcuâ plebe ut veras narrationes ſuſpici: Ideò Franciscus Redus, Nobilis Aretinus, Academicus Furfurariorum ſive della Cruſca, in Obſervationibus ſuis de Viperis, ad Generoſiſſ. Dn. Laur. Magalotti, Magni Ducis Hetruriæ Camerarium, Ital. primùm perſcriptis, poſteaq; in Latinum Sermonem traductis, *perquam ſapienter & prudenter judicavit: Quàm multi, ait, Scriptores tàm antiquè quàm moderni imitantur Oviculas illas, de quibus Divinus noſter Poëta* Petrarcha:

Come le pecorelle eſcon dal chiuſo
Ad una, a due, a tre, e l' altre ſtanno
Timidette, atterrando l' occhio, el muſo,
E ciò che fà la prima, e l' altre fanno,
Addoſſandoſi a lei, s' ella s' arreſta,
Semplici e chete, e lo imper che non ſanno.

h. e. *Sicut Oviculæ procedunt ex clauſtro*

Singulæ, binæ, trinæ, & reliquæ ſtant
Timidulæ, depreſſo oculo & ore,
Et quod prima facit, & reliquæ faciunt,
Accurrentes illi, ſi ſe ſiſtat, (ſciant.
Simplices & tacentes, & hoc ideò, quod melius non

Simili examuſſim ratione, ſi quisquam veterum Sapientum retulit in ſua Volumina aliquam Relationem, à maximâ parte Succeſſorum excæcatâ, nec inquirente aliud, illa iſta credita eſt, & rurſus de novo, ſub bonâ illius primi, qui eam ſcripſerat, fide, ſcripta eſt; & ſic de die in diem,

pſit-

pſittacorum more proferuntur & ſcribuntur & leguntur & creduntur à nimium credulo & inexperto Vulgo ſolenniſſima *Literatorum* mendacia, *nauſeabunda ingenio vigentibus. Si jam non adeò diverſum quid circa* SALAMANDRÆ *hiſtoriam contigiſſe, atq; ab Aborigenum ſeculo ad multa retrò tempora fluxiſſe autumavero, næ Veritati me injuriam facere vix quisquam incuſabit: In ore namq; Vulgi atq; in omnibus proverbiis verſatiſſimum eſſe ſolet:* Salamandram igne comburi non poſſe: *quod tamen, utut Os Philoſophiæ & Oraculum ejusdem, quin & Miraculum* ARISTOTELES, (*vid.* J. C. DANNHAW. *Diſp. de* Αυτοχειρ. *q. 2. Probl. 3.*) *pariter ſtatuere quibusdam videatur, fabuloſum æquè ac falſiſſimum eſſe, per Experientiam in pluribus Individuis à celeberrimis Naturæ myſtis quàm curioſiſſimè factam, comprobatum eſt. Quapropter* Nobiliſſimo DN. RESPONDENTI meo, ceu Medicinæ bonâ ſcæva initiato Juveni, *complacitum eſt, ut in Diſſertationis publicæ argumentum* SALAMANDRA *aſſumeretur, cujus ego honeſtiſſimæ voluntati actutum obſecundando, quæ de illâ apud Autores mihi fortè obvios diſperſa invenire, per alias Studiorum occupationes, licuit, diligenter congeſſi, congeſta ordine tumultuario digeſſi, digeſta in unam quaſi congeriem aggeſſi: Breviter, in uſum* Eruditiſſimi DN. RESPONDENTIS, *non in præconium hîc ſcripſi, quicquid hîc ſimplici ſtilo ſcripſi, ceu* SENECA *de Tranquill. Animi, cap. 1. loqui amat. Tu interea benigne Lector conatibus noſtris fave, cogitaq;, ſecundùm* PETR. MARSI *Commentar. ſuper Offic. Cic. in Præfat. æquiſſimum effatum;* Etiam non rectè ſcribentibus Gratiam deberi.

CAPUT I.

De Salamandræ Exiſtentiâ.

§. 1.

GRues per æſtatem ex Ægypto ſurgentes, (*Max. Tyrii*, ſapientiſſimi æquè ac facundiſſimi Philoſophi Platonici, verba ex ſermone XL. *Coſmo Paccio*, Archiepiſcopo Florentino interprete, pag. 303, vel, 235. huc transferre libet,) extenſis alis, velut quibusdam velis, per aërem feruntur

runtur rectà in Scythicam terram. Hoc animal quod minimè decoræ formæ numeros implet, cui scilicet habitior est venter, longissimum collum, posteriora levissima, alæ parùm fultæ, dispacta membra, in volatu fluitare videtur, instar navis quam undæ agitant & impellunt. Hoc intelligens *Grus*, sive sentiens, sive etiam experta, *non ante volatui se credit, quàm lapidem rostro susceperit, firmamentum videlicet vacillaturi volatûs custodiamq; salutis.* Haud secus Disputatores ex variâ rerum contemplatione, opportuno tempore surgentes, extensis ingenii alis, velut quibusdam velis, per aërem omnis Literaturæ rectà in Veritatem acquirendam feruntur. Hi, quod propter infinitam Argumentorum copiam, multiplicem Nominum acceptionem, nec unam Rerum plurimarum faciem, in Volatu intelligendi fluitare videntur, instar navis quam undæ agitant & impellunt. Hoc animadvertentes Disputatores, sive aliunde docti, sive propriâ experientiâ cautiores facti, non ante Disputationi se credunt, quàm de REI, de quâ disputaturi sunt, EXISTENTIA, certò informati, firmamentum custodiamq; Discursui suo ponant.

§. 2. Quid jam mihi agendum competat, si non statim ex institutâ modô comparatione, profectò ex ARISTOTELE, Ducho meo in Philosophiæ studiis æstimatissimo, constare optimè potest: Is enim *Anal. Posterior. lib. 2. tract. 2. cap. 8.* ait: τὸ δὲ ζητεῖν τί ἐστι, μὴ ἔχοντας ὅτι ἐστί, μηδὲν ζητεῖν ἐστι, h.e. ex JUL. PACII à *Beriga* versione; Quærere autem *quid sit*, cùm ignoretur *quòd sit*, profectò est nihil quærere. Hinc Tragelaphum aut Chimæram *(aut Salamandram)* si quis nominet, non ob id constabit tamen, utrum in rerum naturâ sint, an verò non sint, cùm de multis non constet, *quòd sint, aut quòd non sint*, quorum tamen, *Quid sint*, non obscura sit intelligentia: ut, quid Inane sit, non nescitur; sed utrum sit, nec ne, controvertitur apud Physicos: quemadmodum loqui amat JACOB. SCHEGKIUS, *Schorndorffensis, Commentar. in lib. περὶ ἑρμηνείας Aristot. cap. 1. p. 92.*

§. 3. Quo igitur pacto Rei alicujus *Existentia* investigari debeat, si non aliunde, certè à GREGOR. ZUCCOLI abundè doceri postu-

possumus, qui in *II. Poster. Translation. pag. 825. in sententiâ verborum & continuatione*, ait: Τὸ *si est*, duplex habet medium, quo cognosci potest; unum est Accidentia rei, alterum est id, quod est aliquid rei: *Salamandram* ergò esse intelligimus in eo quod sit id quod habet accidentia ista, nempe figuram lacertæ, quatuor pedes, caudam in extremitate recurvam, gressus tardiusculos &c. Quoad aliquid rei eandem cognoscimus, si consideraverimus esse illam animal irrationale, mortale, vox enim ista aliquid rei, significat intrinsecam naturam, quæ est caussa, quod res sit, & quod sit humidorum locorum amans, vel hominii inimicum vel cum aliquâ aliâ proprietate.

§. 4. Accedit, quod hoc jam nostrô tempore, ex libellis pariter Physicis, & Historicis, ut & aliis quam pluribus Rerum naturalium Scriptis SALAMANDRAS existere apertissimè colligere liceat, sensui etiam oculorum, ipsiq; adeò per eum generatæ Experientiæ contradicere debeat, qui Existentiam illarum in hoc mundo negare temerè ausus fuerit: certè operam malè locabit, quicunq; vel in isto studio plus ultrà decurrere, vel planè de *Salamandrâ* dubitare voluerit: Existentiam namq; ejus ullo modo negare, est ipsis *αὐτηψίαις* malitiosè oblatrare.

CAP. II.

De Salamandræ Etymologia.

§. 1.

SOllicitudine, quæ per omnes Scientias & Artes vagari solet, Ut me ante omnia exsolvam, à capite Salamandram arcessere, tum utilissimum, tum maximè necessarium fore mihi persuadeo. Quamvis enim verborum non adeò magnam cuipiam videri queat habendam esse rationem, quod in omni Thematum tractatione, *potior* ipsis rebus impendenda sit cura; *priorem* tamen vocabulorum cognitioni locum hîc deberi, si nullo argumento alio, quotidianâ saltem consuetudine adduceremur. Usu certè vocis prius cognito, Rem ipsam deinceps eò melius definiri posse ab *Aristotele* atque *Platone* docti suadent, ut alios nunc præteream,

SCA-

duc
SCALIGER. *Exerc. 1. in princ.* GALEN. *l. de Meth. c. 5.* JOACH. HOPPER. *de Element. jur.* CUIAC. *ad princ.* D. de J. & J. OLDENDORP. *de usucap. ad rubr. in princ. tit. de testam.* Verba quippe nihil aliud sunt, quàm rerum notæ atq; signa. Quemadmodum ergò ignoratis signis, ignorantur signata; ita ignoratis verbis, res quoq; ipsas ignorari, necesse est, judice *Altdorffinæ quondam Astræa Mystâ Summo* GUIL. LUDWELL. *de Emphyteusi*, Rt. *Joh. Hier. Oelhafen, th. 2. in. not. lit.* (a) Sunt enim literæ vocum, voces notionum in animo, notiones ipsarum rerum symbola, signa & similitudines: Quare in tractatione rerum semper à Nominibus initium faciendum esse, docet *magnus ille Sapientiæ Dictator* SCALIGER. *Exerc.* CLVI. sect. 1. siquidem vis Etymologiæ magna est, adeò, ut etiam argumentari ab eâ liceat l. 1. ff. de J. & J. l. 1. ff. de Pact. l. 1. ff. de acquirend. possess. nec facilè potest quis decipi in re cognoscendâ, qui virtutes vocabulorum benè perspectas atq; cognitas habet.

§. 2. Tria verò circa Nominis alicujus investigationem, secundùm Logicorum quidem instituta, præcipuè requiruntur, *Etymologia, Homonymia, Synonymia.* ETYMOLOGIA igitur est, quæ vocem ex suâ origine declaret, viamque ad significationem ejus aperiat. Hæc jam, si ullâ in voce aliâ, in SALAMANDRÆ quoque nomine varia est & anceps: GERH. JOH. VOSSIUS *Etymolog.* LL. fol. 443. *Salamandra*, inquit, *est nomen à Græcis, quibus itidem est* Σαλαμάνδρα. Sed an ita originem vocis exposuisse licuerit? similiter profectò colligere quis ausit, *Satrapam*, vocem ceteroqui Persicam, è Græciâ natales ducere, quod eidem Σατράπης nomen non sit incognitum. ISIDORUS, Hispaniarum ille Doctor, elogio Regis *Ferdinandi* cognomento *Magni*, lib. XII. Origg. cap. 4. propter quod Opus sæpè *Vani* titulum verissimè reportavit à PAUL. MERULA *part. 2. Cosm. lib. 3. cap. 34. Salamandria*, scribit, *vocata, quod contra incendia valeat.* Videtur hoc velle, ait *Vossius* loc. cit. *Salamandram* dici quasi *valincendram.* Quod ipsum etiam similiter declarat *Plinius* ille *Germanus*, ceu BEZA in Iconibus loquitur, CONR. GESNERUS lib. de quadrup. ovipar. quòd Salamandra, ex mente Isidori, dicta sit tanquam *valincendra*, quia contra incen-

dium valeat. Velut *Ulyſſ. Aldrovand. de Quadrup. Digit. Ovip. l. 1. c. 8. p. 639.* Salamandra, ſecundùm *Iſidorum*, dicitur quaſi Valencendra (more Ital. e. loco. i.) quoniam adverſus incendia valeat: Quæ etymologia propemodum jocoſa, & riſu digna videtur. Si mihi verò mens Iſidori explicanda eſſet, putarem, per *Valincendram*, non tàm valorem ad incendium exſtinguendum, quàm valorem ad illud excitandum intelligi debere, ſiq; prius exprimendum eſſet, vocabulum fortè melius *Valcontrincenda* uſurparetur, (ceu ex tribus hiſce vocibus, *ca*ro *da*ta *ver*mibus, ſolùm principe cujusvis vocabuli ſyllabâ retentâ, ridiculè quibusdam eſt *Cadaver*) quamvis multùm deinde à literarum cum Salamandræ vocis affinitate abfuturum.

§. 3. Neq; M. MARTINII *κοχασμὸν* omni exceptione majorem eſſe dixero, qui *Lex. Philolog.* Hiſpalenſem Iſidorum, in ſuâ Salamandræ Etymologiâ, Arabicum aliquid reſpexiſſe arbitratur, *in eâ enim*, ait, *linguâ ſonabit* (Salamandra) *uſtionem prohibens thorace*, ſi reſpicies צלא, quod eſt *Uſtio, toſtio*, & מנע *prohibere*, & דרע *thorax*, *tunica*. Intelligo à craſsâ pelle eam habere, ut vim ignis non ſtatim ſentiat. Et סלמון Arab. eſt *ἡρεμία* & דאר circumire. Illud autem animal *ἡρέμα βαδίζει*. Sic & in Galliâ Narbonenſi, ait *Geſnerus*, *Blande*, à lento inceſſu, uti conjicio, *Blandum* enim pro tardo & lento dicunt. At סלת מנטר eſſet corio ſpectabilis. Eſt enim cute variâ. Sed סלח מנחר foret pellem defluere faciens, dejiciens, quod Stellioni convenit. Et סיל מטאדר fluxum indicans: Pluviæ enim dat indicia. Sed tamen, ut præfatus M. M. loc. cit. ſubjungit, *Hæ ſunt alluſiones hominis, ibi quoq; Veritatem quærentis, ubi non invenitur.* DIST. ergò h. l. fuerit inter genuinam veramq; originationem, & aliqualem ſyllabarum aut literarum aſſimilationem: It. inter Denominationem & Agnominationem: It. inter Derivationem & Alluſionem: illa uti plerumq; difficilior eſt, ac unicè à ſolidè doctis Viris excoli poteſt; ita hæc, ſeculo potiſſimùm octavo à nato Chriſto, oppreſſis Barbarorum furore & ſtupidâ ævi negligentiâ literis, Monachorum ingenia exercuitq; ceu ex *Pauli* etymo, à פה *Os* & *αὐλὸς tibia* deducto

ducto, ut centum alia taceam, cuivis patere potest. Conf. PHILIPP. CAROLI *Prælection. in A. Gell. l. 1. c. 25.* Vocum, inquit, Etymologiam venari, trita quidem via est, sed fallit multos suâ confidentiâ. Puduisset, credo, Varronem hujus provinciæ, si eam à tot magistellis dehonestatam vidisset. Quis non rideat, quicquid habet domi cachinnorum, cum *Mavortia Arma* interpretantur, quod *Marem vorent?* aut cum *Palladem* dictam volunt, quod multis rebus polleat? aut *Asinum*, quod non sedeat? Quamvis negare nequeam παρονομασιῶν ejuscemodi maximum sæpè usum esse, in Rhetoricis potissimùm Declamationibus, Concionibus Sacris, & id genus aliis Argumentorum tractationibus; in Vocum tamen investigationibus pro labore inani & ridiculo eas cum Eruditioribus habere non est quod verear.

§. 4. MARTINIUS autem magis adhuc magisq; in *Salamandræ* natales inquisiturus, totam vocem Græciæ aboriginem & civem constituere audet; quando l. c. infit; *Finis vocis spondet, Græcam se esse:* Inde jam conjectationes aliquas afferens, possit, inquit, aut ex eo dicta esse, quòd σαυλὰ μάνδρων, i. e. quieta & iners latibulum suum teneat: rarò enim prodit: *Hesych.* σαυλὰ ἥσυχα, aut quòd ostendat σέλα μανὰ δέρα, i. e. splendores laxos pelle. Nam tanquam vernice tinctam pellem habet. Sanè *Salamantegua* Hisp. sonat tanquam σέλα μανδάκης, i. e. splendores cutis; Μανδάκη enim in Apsyrto exponitur Pellis: An ab Arab. נטע i. e. corium, tegumentum; sed iisdem מנטקה est Balteus, Zona; unde *Zodiacus* vocatur *Mantica*, atq; hinc etiam Salamandra quasi Zonis nitens Reptile denominatur. Aut, quia σάλῳ μαδαρῷ salivâ depilat. Si esset vox ibrida, deduci fortè posset à σίαλος, i. e. *Porcus*, & à *mando*, quia Sus sola sine suâ pernicie malum id edere dicitur: quin etiam explicari posset quasi *salivosa mandra*, i. e. bestia.

§. 5. GESNERUS ab Arabibus Salamandræ nomen trahit: Ait enim; Lacertum Arabes *Samabras*, vel, ut Bellunensis apud Avicennam legit, *Saambras*, vocant. Unde Salamandræ Græcis Latinisq; deductum vocabulum facilè conjicio. Accedit nonnihil

hil etiam Hebraica vox *Semamit*, quæ Stellionem significat. Sed vox *Samabras*, inquit MARTIN. l.c. longiùs abest: Sunt autem ea duæ voces, putà, סאם (quod est LXX. σαῦρα, hebr. חמט Levit. 11. 30.) fortè ex סום malum inferre, & אברץ leprosus. Ergò est qs. lacerta leprosa seu vitiliginosa. ברץ est lepra, vitiligo, ex ברץ quod Chald. affluere, βεάζειν, & ἀπόβεασμα est spuma, quod etiam ipsi Rei convenire videtur, siquidem Salamandra qs. vitiliginosa est, & sanie quoq; suâ vitiliginosos facere creditur. *Si Cathol.* consulere placeat, inveniemus *Salamandram* dici qs. *sola amans pyr* i.e. *ignem.* Sed ut rectè *Martin.* l.c. ait; falsa res est & ineptum etymon; Nam vox à Græcis ad Latinos transiit. Idem de iis judicandum, qui Salamandram dictam volunt qs. *Sal amanda*, i. e. Salem amandans, quod in Sal conjectæ moriantur. Neq; hilum valet sententia eorum, quibus Salamandra idem est atquè Sal à Mandrâ, qs. Salamandræ sub campestribus & mobilibus Ovium caulis lateant, vel in illo etiam loco ex sale nitri generentur. Valere præterea jubeo, qui ex *Sale Ammonio* Salamandræ vocem conflatam esse arbitrantur, uti enim Autores illi Chymica potissimùm respicere videntur; maximè *Dornheuserus*, qui ferè omnes suas aquas fortes *Sale Ammonio* conficit; ita si hæc non attendendo, regulis derivandarum vocum usitatis contrariari dixero, certè non hallucinabor. Similiter JOH. ANDR. ALSTEDIUS in Encyclop. l. 5. Lex. Lat. f. 223. scribit, *Salamandram*, secundum aliquos Autores dici, qs. ὅλῳ μίμῳ ἐν ἄνθρακι. Putatur enim non uri. Sed hoc, ait Alsted. l. c. falsum. Itaq; sit ex σάλῳ & μάνδρα, quia in loco humido degit. Hæc ille. *Ulyss. Aldrovand.* de Quadrup. Digit. Ovip. l. 1. c. 8. p. 39. Salamandram fortassis ità vocari, pronunciat, quia μανδρα stabulum, caulam, & speluncam, σελὶς verò spatium inter tabulata significat; hinc Salamandra, qs. Selimandra, quia inter spatia inania caularum & speluncarum stabuletur. Verum tali modo in exquirendis Nominum etymis si versari libeat aut liceat, quot amabò Derivationes vocabulorum commiscemur? conf. M. JOH. RODOLPH. WETSTEN. *Not. in Epist. Origen. ad African. col. 219.*

§. 6. Ex

§. 6. Ex plerisq; autem allatis hisce vel aliis quibusvis conjecturis, nulla MARTINIO, nulla mihi ex toto probatur, quin potiùs, si aliquid intricatâ hac in lite statuendum, decensq; literarum junctura observanda fuerit, à *Loco* dictam esse, cum sæpè jam nominato MARTINIO & paulò ante citato ALSTEDIO, haud inaniter autumaverim. Amat enim *Salamandra* propè σάλου habere μαύδραν: Per Σάλον autem non intelligo *Salum, mare, vel maris oram,* in quâ naves stant ad Anchoras, quæ ad littus accedere non possunt; sed *Locum humidum*, quem alluit unda: certè frigida, umbrosa, opaca & humida loca Salamandram amare, & in cavis propè flumina, ut & *bufonem*, gaudere stabulari, quæ loca sunt fœda & nauseam ciente animali digna, in confesso est. Σάλον atq; ναυτίαν *Plutarchum* alicubi junxisse memini, unde fortè Galli SALE pro squalido, sordido & immundo habent. *Obiic.* per Salamandram, *Alchemiam* intelligi debere, Ergò haud esse posse græcam Salamandræ originationem, Alchemiam enim in Babyloniâ, Chaldæâ, Ægypto, Arabiâ, & Africâ fuisse celeberrimam, tùm origine, tùm exercitio, idq; etiam docere fodinarum in illis locis occasionem: Sed R^y. etsi concederem, Alchemiam primitus Salamandræ nomine fuisse indigitatam, quod tamen prius luculenter ostendendum esset: profectò nihil obstare video, quare græcum nomen Arti attribui non potuerit, siquidem diffusa tum fuerit hæc lingua in omnem ferè mundi angulum, quod ex historiâ potissimùm peregrinationis Græcorum & dispersionis Pelasgorum sufficienter perspectum erit. Nolo autem plura originationum tentamina vel certamina circa vocem *Salamandræ* congerere, probè sciens, *Nimium*, si ullibi aliàs, certè in superstitiosis vocabulorum Scrutiniis communiter improbari: Satis enim interdum fuerit, ut quomodocunq; Notio expressa habeatur, dummodo non ilicet ut origo indubitata præfractè stabiliatur: siquidem non quilibet patitur se cogi cum odiosè molestis (ceu ANDR. LIBAVIUS, Med. Doct. P.C. & illustris Gymn. Casimiriani apud Coburgenses Director & Prof. Publ. in Syntag. Arcanor. Chymic. Tom. I. lib. I. cap. 1. fol. 1. ait,) illis Grammaticorum scriniorum

 excus-

excuſſoribus & rhapſodis λογομαχεῖας. Quò minùs igitur & origine & ſono, Salamandræ vocem Græcam eſſe arbitrer, utpotè cohærentem jugo cum Σάλος. & μάνδρα, nondum prægnans aliqua ratio, me opinione mea dimovens, ſe ſe mihi hucusq; obtulit.

CAP. III.

De Salamandræ Homonymiâ.

§. I.

VOcabula eſſe rerum ſignificatarum ſymbola quædam, & plures eſſe res quàm voculas, autor eſt ex *Ariſtotele in Elenchis* JACOB. SCHEGKIUS, *Commentar. in prædicament. Ariſtot. p. 17.* Inopia hæc in cauſſa eſt, ut uno eodemq; vocabulo, Res naturâ & definitione diſcrepantes, interdum appellentur. Quamvis unica haud rarò etiam Res apud obſcuritatum & perplexitatum Magiſtros, Chymicos, ad magis eam offuſcandam & admirabilem apud filios ſuos faciendam, *centum diverſiſſimis nominibus* exprimi atq; deſcribi ſoleat; uti hoc, ſi non aliunde, ſaltem ex ARGENTI VIVI nomenclatione oſtendere facillimum foret, quam MICHAEL TOXITES *in Onomaſtic. I. Philoſ. Medic. per Joh. Fiſchart. auct.* à p. 11. ad 13. ſuppeditat, quando ibidem CXXX. circiter diſtinctiſſimæ Hydrargyri appellationes inquirentibus ſeſe offerent. Ne igitur, quod Babelicæ turris ſtructoribus accidit, mihi quoq; contingat, ambiguitas vocabuli *Salamandræ*, ceu perpetua obſcuritatis latebra ſecundùm GOCLEN. *lib. 1. Contr. Log. p. 195.* ſtudiosè inveſtiganda erit: Obſcura ſiquidem & ambigua, *eodem Autore, lib. 2. Dial. Inſt. c. 9.* aſſerente, diligenter ſunt evolvenda, quia nihil ambiguitate abſurdius inveniri poteſt, ut SCALIGER *Exerc.* CCC. Sect. I. annotavit; Quin imò errori quàm maximè affinis eſt, ex modò nominati Autoris illuſtriſſimi ſententiâ, *Exerc.* CXLVIII. Unde quoq; vulgatiſſimum quidem illum, ſed tamen veriſſimum Verſiculum exortum eſſe quis cogitare poſſet: *Errorum genetrix eſt æquivocatio ſemper.* Quem forſan JOH. LANGIUS Lib. 1. epiſt. 66. p. 331. attendendo, Hæc, ait, de Salamandræ minerâ à *Geraldo* nobis explicata, omnes uno ore approbant; *ſimulq;*

Chulg, in quàm pernicioſos errores nomina æquivoca Medicos præcipitarent, cognoſcebamus.

§. 2. Salamandra ergò eſt I. animal lacertæ ſimilimum, venenoſum, tardigradum, hominiq; inimicum, quod in igne perſtare incolume olim credebatur. II. Eſt Muſtelæ exoticæ ſpecies; quemadmodum de GESNERO Ulyſſ. ALDROVAND. de Quadrup. Digit. Ovip. p. 639. refert, eum à Pellione quodam Germano audiviſſe, inter exoticas & nobiles muſtelas, quandam nomine *Salamandram* reperiri. Etſi verò fidem à Pellione *Geſnero* factam nolim modò in dubium vocare, quò minùs tamen credere queam, ullibi in rerum naturâ talem *Salamandram muſtelinam* hodie extare, facit, quod præter dictum Pellionem, neminem vidiſſe alium, quamvis curioſiſſimum Naturæ indagatorem, ſimilem inter muſtelas Salamandram, vel legerim vel audiverim: quin ergò propter chromatiſmi Muſtelini cum colore Salamandræ convenientiam opinio diſſeminata ſit, non quidem vehementer infitias irem: Quid quod vera potuit fuiſſe Salamandra, mediasinter Muſtelas ſtabulans; vel etiam Salamandra, ut ita ſcribam, muſtelizata, ceu *de Lignis quibusdam Collegii Altdorffini, murificatis*, i.e. in mures converſis narratur. III. Apud Chymiſtas *Salamandra*, quæ dicitur *Adech*, ex mente Paracelſi, *Terram rubram*, ſive Sulphur Solis ſignificat. In cujus ſententiam ire autumaverim QUERCETANUM in Tract. de Lue Venereâ, de Turpetho ſive Auro vitæ ex hydrargyro, ſtibio & auro conficiendo, poſtquam prolixiùs modum confectionis expoſuiſſet, iſthæc ſubjungentem: Sub finem, da ignem ſublimationis. Quod adſcendit, ſepara à parte hærenre fixâ. Hanc contere, & in catino plano ſuper prunis crema gradu ignis ſecundo per horas XII. interim per bacillum agitando, donec fiat Salamandra rubicundiſſima. Ubi per *Salamandram rubicundiſſimam*, ſecundùm LIBAV. Apocalypſ. Hermet. Part. Prior. cap. 2. fol. 231. fixus pulvis vel maſſa rubra (ſcil. in fundo vitri) intelligitur. IV. Si *Tauladantes* in animadverſione *Braceſchi* conſulatur, tunc per Salamandram comprehendenda erit animo Subſtantia Mercurii ſublimatione purificata, quæ ad condenſationem,

ſive

ori-
ſive, ut Chymiſtarum phraſi utar, ad fixationem pervenerit, it
ut in igne, more Salamandræ, perdurare videatur. V. à P. Du
PONT, Pharmacopœo Lugdunenſi-Gallo per Salamandram
Alchemia innuebatur, uti cap. II. §. 6. dictum eſt. VI. Non-
nullis Salamandra idem eſt ac Tinctura Philoſophorum, ſic enim
M. MARTIN. in Lexic. Etymolog. ſcribit; *Salamandra Chymicis eſt tinctura Philoſophorum.* VII. Salamandræ voce *vinum* quoq; *adu-ſtum* exprimi poſſe, nemo facilè negabit, ſi tàm illam, quàm iſtud vim habere, maximum in corpore humano incendium exci-tandi, diligenter perpendatur. VIII. Salamandri ac Saldinii ap-pellantur homines ignei, Feuer-Leut oder Geiſter / quod legas licet in MICH. TOXIT. *Medic. Hagenoën. Onomaſtico Altero Theophraſt. Paracelſ.* p. 477. ubi tamen vox Ralamandri, vitiosè à Typo-grapho lit. S. in R. mutatâ, corrigenda erit. IX. *Salamandra* pari-ter aliqua *foſſilis* invenitur: Hinc per *Salamandræ capillos atquè Sa-lamandræ pennas*, netilis Amianti lapidis capillamenta & lanugo à quibusdam Scriptoribus indigitata ſunt: conf. JOH. LANGII, V. Pa-latinor. Electror. Archiatr. experientiſſimi Lib. I. Epiſt. Med. 66. p. 331. X. Salamandræ & Scorpionis nomine *Tormenta bellica*, ſive Machinas quasdam militares fulminatrices venire, ſcio equi-dem me alicubi legiſſe, ſed locus in præſentiarum non ſuccurrit. *Nimirum generatim, in totâ noſtrâ vitâ contingit ſæpiùs, ut ea, quæ nuper contemtim neglexímus aliisq; reliquimus, mox magnâ cum avi-ditate iterum conquiramus anxiè: ſic Eruditi ſæpè legentes aliquam ſententiam vel hiſtoriam, eam dum præſens eſt, faſtidiunt; paulò poſt, commodâ eam adhibendi occaſione datâ, multo labore cogunt id require-re, quod antea non curârant.* Videatur tertius Eccleſiæ no-ſtræ MARTINUS cognomine GEIER, *κατ' ἀναγκ.* ERIGE, REGIE Theologe lapſos in Vitâ & Fide! *Commentar. ſuper Cohelet. Cap. III. v. 5. p. 88.* XI. *Metonym. Adjunct. pro Subject.* Sala-mandra ſumitur (1.) *pro Nave claſſiariâ*, in cujus ſcil. prorâ Sala-mandræ figura inſigniter expreſſa eſt, qualem videre licuit in

Claſſe

Classe Hollandicâ, quæ A. 1630. Mens. Febr. sub Ammirali Occidental. Ind. Societat. in expugnatione Acropoleos Brasileensis **Fernambucci** adhibita est, *vid. Relat. Histor. Francof. Autumnal. de A. 1630.* (2.) Pro Galeâ ferreâ, in cujus Apice antrorsum, inter varii coloris cristas Salamandra erat flam̃ivoma, flammisq; cincta effigiata, vel ad decorem, vel ad terrorem, vel ad constantiam significandam: Uti adhuc hodie quibusdam typo excusis libris Virtutis simulacrum quadrato impositum lapidi tali modo galeatum præfixum observare licet. XII. Salamandra interdum, ceu Draco, ad significandũ *Argentum vivum* à quibusdam Chymicis adhibetur, quod omnia veneno suo interficiat. XIII. Salamandra Philosophorũ, quæ in igne nutritur, augescit, nec extinguitur frigore, est M. Petro Palmario, insolentissimo Ignis Naturæ jactatori, ut Libavius, *ἀναγραμματικῶς, Ejaunda salubris*, eum nominat Tract. Chymic. de Igne Natur. c. 7. p. 15, **Ignis externus, mitis, blandusq;**, in Libello, cui titul. Lapis Philosophicus Dogmaticorum, à Cancellario Acad. Paris., assentiente supremo Curiæ Senatu, digno existimato, qui Vulcano consecraretur, conf. *Libav. loc. cit.* Fortè autem, si hariolari liceret, *Palmarius* ideò per Salamandram intellexit Ignem, quod Veteres plerìq; Ignem & ejus operationem celaverunt, hincq; Ignis Philosophicus sæpè parabolicè sive ænigmaticè per piscículum (vel potiùs Salamandram) in mari mediterraneo natantem est propositus. Vide sis *Libav. in Tractat. Chym. de Igne Naturæ, cap. 6. p. 11.* XIV. *Salamandra literaria*, est Vir literatus, ignei, h. e. acutissimi ingenii & constantissimæ diligentiæ; uti è contrario infidæ mentis homines, qui monumenta scripta rasurâ vel alio quovis illicito modo adulterare satagunt, ad lucellũ inde aliquod faciendum, hominibusq; imponendum, *Stelliones literarios* vocare solemus. XV. Salamandras ex auro, argento, atq; cupro faberrimè ope aurifabrorũ confectas, ad Pileorum laxiorem crepidinem, ex una Orbis parte, decorè abbreviandam, ante XX. circiter annos, communiter adhibebant, quam etiam ob caussam *vox Salamandræ* pro quovis Circulo marginem pilei con-

ractam ambiente & ad cylindri five volvuli figuram refigente, per *Synecdoch. ſpec. pro genere*, uſurpabatur. XVI. *Salamandræ ad Stygem damnatæ*, GEORG. STENGELIO, Jeſuitâ Dillingano alicubi ſcribente, vocari poſſunt Animæ damnatorum, perpetuis flammis cruciandæ. XVII. *Salamandræ ſunt Milites*, autore COSTALIO Pegm. 29. uti ejus teſtimonium recitat *Aldrov. l. c. fol. 644.* Coſtalius enim Salamandras cognominat illos milites, qui creantur, quando cædes & bella impendent: cùm Salamandræ, ingruente tantùm tempeſtate, è cavis in lucem exeant. XVIII. *Salamandrinus* eſt Piſcis, planè nullo modo cum Salamandrâ verâ, niſi ratione nominis conveniens: Hinc *Aldrov. l. c. ut & lib. 5. de Piſcib. Cap. 11. fol. 583.* Tridentini, ait, piſcem ſibimet peculiarem, *Salmerinum* nuncupant, nomine, ut conjicio, à *Salmone* detorto, quo cum carnis rubedine convenit; atq; fortaſſis *Salmerinus* dicitur, quaſi *Salmo lacuſtris.* Lacus enim Germani, ſimiliter ac ipſum mare, *mer* dicunt per, ê, longum. SALVIANUS in hiſtoriâ Piſcium *Salmarinum* vocat, additq; *Salamandrinum* etiam nominari. Atq; iſtæ etiam *octodecim* Salamandræ acceptiones homonymicæ ſunt, quas ego quidem in promiſcuâ Autorum lectione hactenus reperire potui, ex quibus, potiſſimùm circa primam Significationem, utpote ad inſtitutum meum unicè pertinentem, Deo annuente, verſabor.

§. 3. Raritate *Salamandrini Piſcis* allectus, haud facilè poſſum ultrà, ex mente quidem meâ, tendere, niſi à ſæpiùs jam nominato ALDROVANDO *lib. V. de Piſcib. cap. XI.* priùs pleniorem aquatilis hujus pecoris deſcriptionem mutuò ſumſero, hîcq; loci, melioris explicationis gtatiâ, inſeruero: Piſcem itaq; hunc, *inquit modò dictus Autor*, in ipſo natalis Salvatoris humani generis jejunio, anno ſuperiori, qui fuit undecimus ſupra milleſimum ſexcenteſimum, acceptum ab Illuſtriſſ. Cardinale CAROLO MADRUCIO, Tridenti Principe, Domino meo colendiſſimo, ſic deſcribebam. Corporis forma, pinnarum numero ac ſitu cum Truttis ac Salmonibus ferè convenit: ceterùm ſquamis caret; etſi ſquamoſum eſſe profiteatur Salvianus. Capite eſt rotundiuſculo, retuſo roſtro.

ſtro. Oculorum pupillam nigram aureus, qui in mortuo poſtea fuit ruberrimus, circulus ambit, ac quàm maximè ſplendens. Ante eos foramina duo, auditûs vel olfactûs inſtrumenta, rotunda, manifeſta. Oris maxilla inferior nonnihil recurva, unco ſurſum vergente: eſtq; tota ea mandibula alba. Lingua ejusdem coloris; item palatum. Totum os inſigniter dentatum. Piſcis ipſe rotundus potiùs, quàm latus eſt. Pinnæ ſunt numero ſeptem, omnes ſine aculeis, quinq; ſupino, binæ prono corpore: juxta branchias duæ, totidem in medio ventre, quinta ac poſtrema à podice, longæ omnes ac latæ. Quæ ad branchias ſunt, triplici colore prædítæ, ubi enim longiores ſunt, h. e. in ipſo exortu, albicant, mox totæ rubent, exceptis nervis qui nigricant, reliquæ tres ſicuti in exortu magis quàm illæ albent, ita quoq; rubedo in his intenſior eſt, nigredine verò planè carent. Priores quatuordecim nervis conſtant, ſubſequentes novem, noviſſimæ decem: quæ verò in medio ferè dorſo conſpicitur, duodecim nervos habet: altera non longè à cauda, iis caret, mollis & cutacea, ut in Truttaceo genere, maleq; ceu nervoſa à *Salviano* expreſſa eſt: utraq; dorſo concolor, i. e. nigricans. Cauda lunata eſt, ejusdem coloris, non rubra, ut ille ait. Podex in imo ventre juxta exortum poſterioris pinnæ. A branchiis ad caudam linea exilis, rectà ad caudam usq; fertur, aſperiuſcula. Latera nonnihil albicant, & nunc rotundis, nunc oblongis, iisdemq; nunc majuſculis, nunc exiguis maculis ſubfulvi coloris conſperguntur. Totus venter coloris fermè crocei, aut vulgaris minii. Uterum habet admodum procerum atq; latiſſimum, utpote qui totam corporis capacitatem occupat, ovis refertus ejusdem ferè magnitudinis, fulvis auroq; reſplendentibus, margaritas aureas diceres. Inteſtina alba pluribus circumvolutionibus intorta. Jecur breve, latum, unico duntaxat lobo conſtans, flaveſcens. Veſicam fellis invenire non licuit. Lien majuſculus ex atro rubens. Ventriculus longus & carnoſus. Caro, ut in Salmone, rubra. Longitudo totius piſcis à capitis initio ad caudæ extremum ſpithamas binas explet. Addiderat Illuſtriſſimus Heros, binos alios, quos mares eſſe per

literas significabat, descriptâ fœminâ, & breviores & exiliores. Hucusq; *Aldrov.* Iconismus *Piscis Salamandrini*, quod jam antea quædam Salamandrarum figuræ cupro essent incisæ, ad evitandam earundem multiplicationem, hîc prætermitti debuit, cupidis tamen illius adspiciendi copiam faciet *Aldrovandus l. cit. pag. 584.*

§. 4. Siquidem in §. II. num. V. PETRI du PONT memini, paulò prolixiùs, quam de *Arcano Arcanorum* fovit sententiam, hîc adducere juvabit: Statuit nempe ille, de Lapidis Philosophici præparatione quæsitus, ejus unicam & verissimam materiam esse SALAMANDRAM, quod assertum cum pluribus audientibus ridiculum videretur, nihilominus tamen sæpiùs eodem iterato pronunciato pertinacissimè inhærenti non omnis planè fides derogabatur: Quam etiam ob caussam unus & alter ex Philo-chymicorum ordine Operi se ipsi accingebat, sed non alium exinde fructum, quàm ille qui testas Ovorum pro verâ materiâ usurpasse legitur, post fuliginosos aliquot mensium labores, reportavit. Ego autem, quòd eodem tùm hospitio tùm mensâ Collmariæ in superiori Alsatiâ apud Magnific. DN. JOH. HENR. MOGGIUM A. M. DC. LXVI. cum eo uterer, atq; ob hanc consuetudinem, familiaritati ejus indies magis magisq; implicarer, sæpiusculè genuinam illius de Salamandrâ sententiam scisitabar, qui tandem etiam plurimis meis sollicitationibus locum relinquens, calamo fortè ibi scriptorio in dextram assumto, in chartæ cujusdam obviæ folium, Decem verba ista, quæ nunc hîc sequentur, grandioribus à capite positis literis, ab invicem benè distincta, inscripsit:

Scrutando Abstrusa Limi Archaici Medicinam
Absconditam Nanciscēris Dei Revela-
tum Arcanum.

Ego statim animadvertens, ex majoribus literis initialibus *Salamandræ* vocem coalescere, ulteriùs percontando pergebam, quid, omni excluso ænigmate, per *Salamandram* intelligeret, ad quæ ille iterum regessit, sibi non esse licitum plura de hoc Mysterio mi-

hi

hi patefacere, nisi assiduâ invocatione Numinis Divini hoc ipsum adhuc meo intellectui absconditum, suo tandem tempore revelaretur. Quo in responso ejus acquiescens, non amplius ab isto die quicquam verborum, hac de re apud illum protuli.

§. 5. Quocunq; autem modo PETRUS iste Salamandram suam defendere laboraret, nihil profectò aliud, quàm nugæ atq; impostura inde produci possent. Eodem enim ovo prognatum esse hoc crediderim, quo illud de VITRIOLO apud quosdam Veteres ortum lego: Hi nempe, ut occultè, quid in *Vitriolo* Virtutis Chrysopœicæ deliteſcat, docerent, singulis ex Vitrioli voce literis depromptis singula Vocabula conficiebant, atq; ità ferè exponebant:

Visitabis Interiora Terræ Rectificatæ Invenies Occultum Lapidem Veram Medicinam.

Sed enim quod hîc in formulâ *Terræ Rectificatæ*, id ibi in vocibus *Limi Archaici*, vel à communi luce, deditâ operâ, seclusum est, vel per dolos veteratoriè circumscriptum. Siquidem vix Artem aliquam esse, aut unquam fuisse, mihi persuadeo, quæ pluribus deceptionibus, fallaciis & mendaciis constiterit, quàm quidem vulgò sic dicta *Alchymistica*: Nimirum Ars est illa sine Arte, cujus summa pars cum parte, cujus mater otiari, cujus verba sunt nugari, cujus votum denigrari, cujus fama annotari, cujus proba est mentiri, cujus vita impediri, cujus labor est inflare, cujus fructus mendicare, cujus merces nunquam stare, cujus pœna est perire, & in cruce interire. Nolim tamen propterea omnem planè Auri Chymici confectionem opinosus rejicere, quin modum aliquem artificiosè illud præparandi supereſſe, si nulla ratio alia, saltim Argumenta externa ab Autoritatibus, Experimentis, & quamplurimis Testimoniis desumta, me ad credendum instigarent. Quæ inter eminent, hodie quidem, Nomina seqq. (1.) *Dn. Georgius de Beausoste*, (2.) *Dn. Sagar*, Præses Perpinianensis, Vir jam plenus annis, atq; in quotidianis colloquiis civilissimus. (3.) *Dn. de S. Omer*, habitans in Arce suâ de S. Omer, prope civi-

 tatem

tatem Viviers in Vivareziâ, Vir ſenectute confectus. (4.) *Comes de Couſeran* &c., qui gentiliciam ſuam Domum de Couſeran in Languedociâ incolit: de quâ familiâ ibidem dici ſolet, quod jam à CC. annis Alchymiſticum Studium in eâ floruerit. (5.) *Rev. P. Pontei*, ex Ord. FF. Minor. S. Franciſci, in Conventu civitatis Dauſt, in Valle Telinâ ſeu Valtolinâ Rhætiæ. (6.) *Rev. Dn. Blanc*, Presbyter & Canonicus Eccleſiæ ad D. Petri in Chambery Sabaudiæ. (7.) *Dn. Quare*, Chymicus, habitans propè Collegium, *Chamberini* in Sabaudiâ. Plura, ſi Deus voluerit, Adeptorum talium Nomina proferam in meâ Chryſopœiâ. *Conf. Miſcell. Curioſa Medico-Phyſica Ephemerid. Germanic. Ann. prim. 1670. Obſervat. XVII.* D. PHILIPP. JACOB. SACHS, *à Lewenheimb.*

§. 6. De Salamandrâ foſſili, cujus in §. 2. n. 9. aliqualis facta eſt mentio, ut hîc, exigente ita Ordine, uberior fiat explicatio; Sciendum eſt, MARC. PAUL. VENETUM, aliàs MILLIONIUM appellatum, quod Tartaricas divitias per *Milliones* ſive Myriades, ſupputaret, Lib. I. de Region. Oriental. Cap. XLVII. p. 41. de illâ in hunc modum annotaſſe: Eſt in hac provinciâ (Chinchinthalas, al. Chinchintalas, al. Chinchincalas, al. Chynchyntale, al. Chinchital.) Mons, in quo inveniuntur mineræ chalybis & audanici; (al. andanici,) itemq; Salamandræ, de quibus fit pannus; qui ſi in ignem projectus fuerit, non comburi poteſt. Fit autem pannus ille de terrâ in hunc modum, ut quidam è Sociis meis, Vir ſingulari præditus induſtriâ, Curficar (al. Tuficar) nomine, Turchus me edocuit, qvi in provinciâ illâ mineralium operi præfuit. Invenitur in monte illo minera quædam terræ, quæ fila producit lanæ haud diſſimilia: & hæc ad Solem deſiccata in mortario æneo teruntur, deinde lavantur, & quicquid terrenum illis adhæret ſubmovetur: demum fila illa ſic purgata & attenuata, ut alia lana, nentur, atq; in pannum contexuntur. Et quando pannos illos volunt dealbare, projiciunt eos ad horam in ignem, & tunc ex flammis illæſi educuntur nive candidiores. Haud ſecus purgant eos, quando maculas aliquas contraxerint. Nam lotura alia præter ignem illis non adhibetur. AJUNT, Romæ mappam quan-

quandam haberi ex *Salamandrâ* contextam, in quâ Sudarium Domini involutum retinetur, quam Rex quidam Tartarorum Romano misit Pontifici. Hisce addas licet, quæ ex ALBERTO refert *Aldrov. de Quadrup. D. O. l. 1. c. 8. p. 644.* in postremis Hispaniarum partibus juxta Gades, & columnas Herculis frequenter lapidem inveniri, qui ob viscidum humorem circa ipsum exsiccatum in fila trahi potest, ex quibus contexta vestis non comburitur. Ideò aliqui hunc, PLUMAM SALAMANDRÆ vocaverunt. Notabile non minùs est, ob summam vel convenientiam natalium, vel effectuum identitatem, quod modò dictus ALBERTUS, primus ille Latinorum, ut *Centuriatores Magdeburgenses perhibent*, qui quicquid in Græcis, Latinis, Arabibus, Ebræis Philosophis egregium fuit, perscrutatus est, *in Libell. de Virtut. Lapidum*, Si vis, ait, ut fiat Vestis incombustibilis, accipe lapidem qui ISTHMOS appellatur, qui, ut dicit *Isidorus*, similis est croco, & in partibus Hispaniæ invenitur, & iste lapis stabilis est propter ventositatem in ipso rarefactam juxta Gades Herculis, & si de eo fiat vestis, nullo modo potest uri, sed de igne nitet. Et hujus speciei dicunt quidam Carbunculum album.

§. 7. Neq; in diversum abire deprehendo GERALDUM, de quo J. LANGIUS Lib. I. Epist. Medicinal. LXVI. Proinde, inquit, postquam jusculum hoc pisorum sorbuero, libenter à te de netili ex *Salamandræ lanugine, aut pennis perconctarer:* An verum sit, ex hac lintea contexta, & ad eluendas sordes in ignem projecta, non comburi, sed illæsa niveq; candidiora evadere? Tum quidem *Geraldus* humaniter respondit: Langi mi, de hujusmodi ex Salamandræ plumis tela incombustili, nihil in Australibus aut Orientalibus novi Orbis insulis comperi: verùm dum Romæ agerem, *ajebant*, Tartarorum Regem summo Pontifici linteum ex Salamandrâ misisse, in quo sudarium sacrosancti Salvatoris vultus effigie insignitum, ab omni incendio tutum conservaretur involutum. Præterea fama est, CAROLUM Cæsarem semper Augustum, ejusq; fidelem à consi-

liis

liis *de Nassâ Comitem*, habere χειρόμακτρα (i.e. mantilia) quæ in ignem conjecta, tandem à sordibus purgata, illæsa eximerentur. Verùm hæc ex Salamandræ *pennis, vel lanugine, quum utrisq; careat*, contexi non credo. Sed illud quidem probè novi, olim in Ægypto & Arcadiæ montibus, ac propè *Carystum* Euboiæ oppidum, lapidem nasci, quem (ut Strabo ait) pectunt, nent, & texunt, ac inde mantilia conficiunt, qvæ sordida in flammam projecta non secus emundantur, qvàm si lavacro maculas elueris. Sic quoq; nostrâ ætate, in Noricorum & Saxonum metallis, ac in quodam monte regionis *Chynchyntale*, qvæ ab Aquilone, deserto confinis est, magno Cham subdita, erui *Amiantum* lapidem, & mineram quam incolæ *Salamandram* appellant, in capillamenta instar aluminis *Schisti* canescentia, unà cum terrâ, quam amplectitur concretum, quem Græci ob id *Gæoden* appellarunt. Hujus mineram Sole siccatam, in mortario æneo contusam, à terra eluunt, & carminatam in fila tenuia pectunt, & nent, ex quibus lintea incombustilia texunt, quæ *Plinius* ob id linum *Asbestinum* quoq; appellat: Inventum est, inquit, linum, quod ignibus non absumitur, vivum id vocant: ardentesq; in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis, splendescentes, igni magis quàm possunt aquis: Regum inde funebres tunicæ, quæ corporis favillam à reliquo separant cinere. Nascitur in desertis & Sole adustis Indiæ locis, ex quo Brachmanes, Indorum Philosophi, autore Hierocle, sibi conficiebant vestes. Asbestus quoq; inextingvibile linum dicitur, quoniam ab eo etiam in lampadibus accenso, ignis nihil depascit. Ex eo quoq; factæ thryallides, aut ellychnia, nonnisi oleo defecto extingvuntur. Hinc *Pausanias* refert, Athenis in aureâ Palladis lucernâ, quam Callimachus consecraverat, ex lino Carystio thryallidem perpetuò arsisse: assuescit enim vivere ardendo. Hujus Amianti capillamenta & lanuginem, etiam in nostrâ vernaculâ linguâ *Salamandræ capillos* appellamus. *Albertus* verò *Magnus* ille Philosophus tradit, magnis ferri, dum fabricatur aut eruitur, massis disruptis, vaporem fusci aut albi cinereive coloris erumpere incombustibilem;

qui

qui manibus obviis exceptus, pannis, aut tecto fabricæ, instar lanuginis adhæreat: & hanc *Salamandræ lanam* dici testatur. Quem ipsum quidem sensum *Aldrov. l. c.* similiter adhibuisse, sed paulò aliis verbis expressisse invenio. Amplius, inquiendo, ubi massæ ferri pro incudibus fabricantur, scinditur aliquando ferrum, indeq; evolat ignis vapor, qui parietibus, & tecto ædificii adhæret, lanam fuscam, & interdum albam referens: hæc autem lanugo igni admota non comburitur; propterea hanc, ut notat *Gesnerus*, aliqui lanam Salamandræ indigitant. Accedit ad hoc, quod de monte Regionis aquilonaris *Chynchyntale*, *Salamandræ minera* etiam cum chalybe & ferro eruitur. Constat igitur, netilis Amianti lapidis capillamenta, fuisse quoq; *Salamandræ*, non illius animalis virulenti, sed *Salamandræ fossilis*, Pennas dicta. Hæc á *Geraldo* nobis explicata, omnes uno ore approbant.

§. 8. Ex hisce jam in medium allatis apertissimè colligere licebit, quàm graviter hallucinati fuerint omnes illi, quorum ingenia malè intellectum SALAMANDRÆ vocabulum ad animal quadrupes venenosissimum, in Lintei quidem incombustibilis confectione, applicare conata sunt: Certè YNGELHUYSIUS quidam in vocabulario MS., ante duo jam secula exarato, atq; hoc tempore in *Magnifici Universitatis Altdorffinæ Rectoris* DN. JOHANNIS SAUBERTI, *SS. Theol. Doct. ac Prof. Primarii, Ecclesiæq; Antistitis longè meritissimi, Fautoris mei & Collegæ colendissimi*, Bibliothecâ asservato, ait: Salemandra est vermis quidam formam habens Ovis, cujus lana non comburitur igne. Unde forsan, (uti tum temporis ista de Salamandræ lanâ opinio pervulgata esse potuit,) Germanus ille Esdras ac Strabo, veluti JACOB. AUGUST. THUANUS *Part. I. Histor. Lib. VIII. ad Ann. 1552. p. 867. edit. Paris.* SEBAST. MÜNSTERUM appellatum esse, memoriæ prodidit, qui uti aliàs omnigenas fabellas atq; narratiunculas in circulis quoq; jactari solitas congessit, judice M. SCHOOCKIO Fab. Ham. Part. III. cap. 1. p. 184. sic in Cosmographiâ suâ lib. V. cap. XCIV. p. 1405. hoc pariter de Salamandrâ figmentum hausisse videtur, quando non tantùm ea ibidem æri incisa, Ovino tùm antrorsum capite, tùm subtus densissimâ lanâ

conspi-

conſpicienda exhibeatur; ſed inſuper Germanica iſta verba expreſſa ſunt: **Im Land Chinchital iſt ein Berg / darinn gräbt man Stahl / und da findt man auch die Schlang Salamandra genannt / die im Feuer ohne Schaden oder Verletzung leben mag. Man braucht dieſe Schlang zu etlichen Tüchern / und die werden ſo wehrhafft darvon / daß ſie in keinem Feuer mögen verbrennen / ſondern ſo ſie unſauber werden / wirfft man ſie eine Stund in das Feuer / und nimmt ſie ſauber / als wären ſie gewaſchen / ohne Verletzung wieder daraus.** Scilicet Homines augent omnia, & ſimplici vero duplex aut triplex falſum miſcent, quemadmodum JOH. SPERLING. *in Prælectionib. Zoologiæ publicis, part. ſpecial. lib. VI. cap. III. de Aſpide, Axiom. 2.* dictitavit. Neq; aliò referendi erunt pleriq; Autores illi, qui vel *pennis alleviari* Salamandram, vel ex *vellere* illius lintea confici, vel *Ovi* ſimilem eſſe ſcribunt, vel alia quadam ratione circà Salamandræ naturam non probè inveſtigatam, verſantur.

§. 9. De **Lapide Eislebiano** hîc aliqua coronidis loco ſubjungere, non fuerit, credo, contra Capituli præſentis inſcriptionem. Refert verò ex *Georg. Agricola* ULYSS. ALDROV. *de Quadrup. Digit. Ovip. lib. I. cap. VIII. fol. 644.* Lapidem quendam Eislebanum, dubio procul ab EISLEBIA Mansfeldiæ oppido, D. MART. LUTHERI patriâ ſic nominatum, inveniri, qui aliquando **effigiem Salamandræ**, interdum figuram aliorum animalium repræſentet. Cujus etiam aſſertionis haud contemnendus proſtat adſtipulator DAVID FROELICHIUS, *Mathematicus Cæſareopolitanus apud Gepidas Carpathicos* ſuo tempore celeberrimus, qui in Viatorii ſui lib. I. Part. Poſter. Cap. V. num. XXIII. p. 154. *Mansfeldiæ Comitatus*, inquit, *habet duos lacus, quorum lapides, piſcium, ranarum, aliorumq; reptilium formas continent.* Quorſum pertinere videntur, quæ in literis ad *Seb. Münſterum* perſcriptis DN. JOH. **Hubinſack** / Toparcha in **Leberthal** / commemoravit, **Ein wunderlich Ding hab ich daſelbſt (in der Grafſchafft Mannsfeld) geſehen. Es iſt ein See / etliche Meil Wegs lang und breit im Land / und ſo mancherley Fiſch / Frösch / oder ſonſt lebendige Thier im ſelbigen**

See

See seind/ die gebiert der Schyffer ein Gleichnus in ihm mit gedignem angeflognem Kupffer / daß man es klärlich erkennen kan / was jedes vor Fisch / Bildnuß / oder Figur ist. Ich schick euch hier derselben eins/ das ist ein Olrupp oder Risolck / oder Trist / wie mans hie zu Land nennet. Iconem expressam invenies unà cum epistolâ istâ in S. Munster. *Cosmograph. lib. III. fol. 641. seq.* adde, quæ Andr. Chioccus *in Museo Calceolariano Sect. III. pag. 428. de Lapidibus in Vicentino agrò effosis annotavit.* Simile quid in fortè obviâ lapidum conquisitione, circà ALTDORFFIUM, *Noribergensis Dominatûs Universitatem*, maximè ad celebrati nominis *Ruperti fonticulum*, vicinasq; aquulas ad lapillos molliter fractas, ipse *αὐτόπτης* jam sæpius observavi: utpote qui pariter varias animalium & insectorum figuras, Naturâ Lithogeneticâ artificiosissimo scalpro & plastico torno eas effigiante, non sine admiratione summâ ostendunt, quas inter esse frequentissima deprehendi Cochlearum Concharum atq; Serpentium examussitata simulacra. Conf. A. Chioccus loc. cit. pag. 423. & seq. ubi lapidei Serpentis iconem eleganter æri incisam adspicies. Nimirum Natura, inquit A. Kircher. *Dial. III. Itiner. submar. Ecstat. cap. 1. p. 141.* in mediis Achatibus lapidibus, marmoribus, aliisq; in profundissimis terræ reconditis saxis tùm humanæ figuræ, tùm ceterorum animalium vegetabiliumq; formam insculpit; gaudet namq; hujusmodi rerum ludibriis, & uti omnia in omnibus esse ostendit, ita pro conditione singulis entium gradibus laborat, quantum potest, ut si non sensum, saltem vitam, si non vitam, saltem *figuram nudam*, ad suam in Universi decoris Majestatem attestandam, imprimat. Plura exempla Lapidum figuratorum ex optimis Autoribus collecta exhibet Philipp. Jacob. Sachs. *à Lewenheimb. Gammarolog.* Lib. I. c. 7. §. 6. seq. Caussam tàm mirabilis hujus figurationis si quis vel humoris percolationẽ, vel Semina Animalium, coitûs tempore, terræ, aquis, quin ipsis etiam lapidibus infusa & superfusa arripere voluerit, per me quidem licebit; egò certè in aliâ investigandâ hactenus quidem laboravi, sed nullam, quæ mihi

 satis-

satisfeciſſet, reperire potui, quin ergò alteri cuipiam me ſapientiori & feliciori, εὕρηκε! aliquando accinendum ſit, nullus dubito.

Cap. IV.

De Salamandræ Synonymia & varia ejus appellatione.

§. 1.

NAturæ humanæ palatum communiter eſſe delicatum, atq; hinc etiam ex varietate ſuavitatem avidiſſimè captare, ita jam puto exploratum ubivis habetur, ut, niſi penitus illâ exutus, nemo facilè hoc ignorare queat: Inde eſt quod non multùm abludere, ab oris illâ ſuper linguam cavitate, judicandum ſit, quam plurium terminorum *ἰσοδυναμίαν*, Synonymiam aliàs Grammaticam dictam, quæ uti, ob vocum penè idem ſignificantium multitudinem, mirificam habere ſæpius vim ſolet, ita nihil tàm nitidum eſt, quod non ſqualere videatur, citra ejus commendationem. Hac etiam de cauſſâ occaſio, iſto quidem in loco, prætermittenda non fuerit, qua non tantùm in ulteriorem *Salamandræ* cognitionem provehi, ſed eadem operâ diverſiſſimam & variantiſſimam ejusdem nomenclaturam aſſequi valemus: Etſi enim *Salamandræ* nomen ferè maneat apud alias gentes immutatum, atq; tutius quoq; ſit illud retinere, ne, ut fieri nonnunquam ſolet, inconveniens & diverſi Animalis vocabulum ei accommodetur, tamen, cùm videam, Autores, hoc non attento, varia ejus nomina proferre, in recenſendis illis debitam pariter operam navabo.

§. 2. Synonymia igitur *Salamandræ* eſt multiplex, quatenus nempe illa non ex ſolâ duntaxat Linguâ Latinâ, ſed ex aliarum etiam Gentium atq; Nationum Sermonibus accumulari ſolet. Ita nimirum *Salamandra* Hebræis eſt, Autore Megisero *in Lexic. Polygl.* שממית, שממית, סממית, & R. Dav. Kimchio *in Lexic.* eſt, סלמנדרא, Græcis communiter dicitur (1.) Σαλαμάνδρα, *Acuto in penultimâ*, uti Joh. Scapula *in Lexic. Græco-Latin.*, *Scholiaſtes Nicandri*, *Suidas*, *Ariſtoteles*, pluresq; alii Autores habent: num rectè verò etiam, *Accentu in antepenultima locato*, dici queat Σαλά-

Σαλαμανδρα ? dubium eſt : favere videtur huic Accentuationi Regula Grammaticorum; Ultimâ exiſtente brevi, Antepenultima ſi tonum habet, acuenda eſt, conf. D. JACOB. WELLERI *Grammat. Græc. Sect. II. Cap. II. Reg. VI. p. 69.* Neque deſunt ſcriptores, qui ſimili ratione vocem hanc protulerunt, uti J. A. COMENIUS *in Lex. Janual.* JOH. SCHRÖDERUS in Pharmacop. Med. Chym. p. 346. JOH. HENR. ALSTEDIUS *in Encyclop. lib. 5. Lexic. Latin. fol. 223.* cum pluribus aliis doctiſſimis Viris rei hujus fidem faciunt. (2.) Μόλγη, veluti HIERON. MEGISERUS *in Theſauro Polyglotto* & J. SCHRÖDER. l. c. innuunt, quod tamen vocabulum, utpote Germaniſmum ſapiens & nondum civitate Græcanicâ ex aſſe donatum, potius non adhibendum, quàm ſine communi Literatorum conſenſu violenter in eam introducendum eſſet. (3.) Σαῦρα Φαρμακὶς, vel Φαρμακῖτις h. e. Lacerta Venenata: ſic NICANDER. *in Alexipharm. verſ. 537.*

Φαρμακίδ@ σαύρης πολυμήδε@, (vel an πολυκηδέ@ ?) λὶ σαλαμάνδλειξον. --- --- --- (δρλιω

Vides ibi, ſcribit SAM. BOCHART. *in Hierozoic. Part. Prior. lib. IV. cap. VII. col. 1068. n. 60.* σαῦραν Φαρμακίδα *Salamandram eſſe, lacertæ genus, ſtellioni tàm ſimile, ut pro ſtellionis ſpecie à nonnullis habeatur.* (4.) Πυρεκγόν@ i. e. *flammæ alumnus*: quale nomen GEORG. PISIDAS, qui ſeculo VII. tempore *Heraclii* Imp. floruit, in Κοσμογρφία, verſ. 1028. Salamandræ fecit:

Τίς ἐντέθηκε τοῖς πυρεκγόνοις Φρένας;

id eſt, FRID. MORELLO interprete, *Quis flammæ alumnis indidit vim mentis hanc?* (5.) Λιπορρίν@, quo Epitheto NICANDER Colophonius, Grammaticus, Poëta & Medicus, conf. Voss. *Hiſtor. Gr. lib. 4. cap. 14.* tempore Attali, extremi Regis Pergameni, florentiſſimus, *Salamandram* exornavit, *in Alexipharm. v. 536.*

Ην δὲ λιπορρίνοιο ποτὸν δυσάλυκτον ἰάψῃ, &c. vid. ſupr. n. (3.)

EURICIUS CORDUS interpres Nicandri latinus reddidit h. m.

Sin tibi ſumma malæ nocuêre venena lacertæ,
Nempe emittentis liquidum ſuccum Salamandræ.

Scholiaſt. Nicandr. p. 98. ad vocem λιπορρίνοιο, græcis quidem, ſed

h. l. majoris perſpicuitatis gratiâ latinè redditis verbis; Etenim, *inquit*, Salamandra animal eſt quadrupes, parvum, inſtar lacertæ, terreſtri crocodilo ſimile: &c. neq; pellem habet, neq; ſquamam. Unde etiam eam λιπόῤῥινον vocat, (ſcil. Poëta) ῥινὸς enim idem, quod pellis. *Alia explicatio*: aut quia pinguedinem (ſ. liquorem) emittit ex cute. Viſcoſa enim eſt & pinguis Salamandra, & ex corpore humorem emittere ſolet, qui ignem extinguit. Priorem vocis expoſitionem SCAPULA in Lexico, ſub voce ῥινὸς attulit, quando λιπόῤῥινος idem eſt ei ac *pelle deſtitutus*, & quidem eâ, quæ dura ſit: Poſteriorem JOH. JONSTONUS, *Hiſtor. Natural. de Quadruped. lib. 4. Titul. 1. de digitatis oviparis cute tectis c. 3. fol. 194.* amplectitur, ſcribendo; Nicander λιπόῤῥινον, (ſcilicet *Salamandram*) quod ſplendidâ, renitente, & quaſi pingui delibuta cute ſit, vocavit. Similiter GESNERUS, mihi, ait, interpretatio arridet, λιπόῤῥινον cognominari, (quod ſplendida & renitente tanquam pingui aliquo delibuta,) ſit pelle. Accedit J. C. SCALIGER Exerc. CLXXXV. circa fin. *Iccircò*, inquiens, *Nicander eam λιπόῤῥινον appellavit: quod eſſet pingui corio, id eſt*, λιπόδερμον. Utraq; vocabuli hujus expoſitio facilè retineri poteſt, ſi præter Grammaticorum regulas, naturam quoque animalculi conſiderare libeat.

§. 3. Latinis hoc inſectum uſitatâ voce *Salamandræ*, à Græcis mutuò ſumtâ, exprimitur: quamvis enim & *Salemandra* interdum Scriptoribus, maximè antiquioribus, dicatur, factum tamen hoc eſſe autumaverim partim ob ſingularem, quam ſecuti ſunt, vocis hujus etymologiam obſervandam, partim ob valde familiarem tàm Græcis quàm Latinis literarum permutationem, quâ A, in E, transformatur, ceu Vossius *in Tractat. de Lit. permut.* quamplurima utriusq; linguæ exempla adduxit. Num verò etiam *Salamandria* rectè vocari queat, ambiguum habeo: ISIDORUM certè *Origg. XII. 4. Salamandriæ* vocem *ſubſtantivè* uſurpaſſe memini, ſed quo fundamento, invenire non poſſum: Σαλαμάνδρειος enim, *a, on*, adjectivum eſt, atq; idem ac *pertinens ad Salamandram*. Invenias equidem hoc ipſum vocabulum pariter in Cathol. *ſubſtantivè*

tivè positum, sed non tàm illic natum, quàm, uti collationem factùro patebit, ex *Isidoro* bonâ fide exscriptum. Ad Synonymiam referri deinde queunt circumscriptiones, encomia, tituli, epitheta, &c. Sic apud AETIUM *Salamandra*, secundum aliquos, *Lacerta venenaria* nuncupatur: Sic PLINIUS, quoniã maculis luteis conspersa sit, *Animal stellatum* nominavit: Sic vulgò vocari solet *Lacerta vermicularis*, quæ licet Stellio essè à quibusdam putetur, secundùm GESNERUM tamen Salamandra per illam intelligi debet: Sic ALBERTUS Salamandram nomine *Stellionis* insignivit, siquidem Stellioni eas conditiones inesse scribit, quas *Plinius* Salamandræ assignavit. Aliàs ab Arabibus mutuatâ loquendi formulâ, *Reptile Zonis nitens* nominari potest. ERIC. CORDUS, ceu *Aldrov. de Quadrup. digit. Ovip. lib. 1. cap. 8. fol. 640.* testatur, Salamandram latinâ terminatione (credo ex Germ. **Olm**/) ULMAM appellavit: Quæ sanè appellatio ad urbem imperialem Sueviæ præcipuam, nomine ULMÆ condecoratam, applicari haud inconcinnè possit, maximè cum ingenuinâ civitatis dictæ nuncupatione Autores nondum consentiant, & Salamandræ, quoad hieroglyphica quædam, ut taceam, quod ad loca humida, Danubium, Ileram & Blavam sita est, optimè cum Ulmâ urbe convenire videatur; profectò sicut inter miseriarum & calamitatum bellicarum flammas sæpius jam triumphavit, ita etiam Candoris & Sinceritatis insignia in hunc usq; diem experimenta dedit.

§. 4. Germani Salamandræ indiderunt nomina seqq. **Maal / Malen / Puntermaal / Molle / Moll / Mohl / Molch / Molck / Olm / Salemander / Salamander**: Et quidem posteriora duo vocabula ex Latio, additâ solâ terminatione germanicâ, sunt oriunda: **Olm** autem nonnulli ab ὄλλυμαι i. e. *perdo, perimo, occido*, deducunt: **Molch** possit fortè (quod & *Gesnerus* monet) derivari à **Milch**/ quòd liquore lacteo turgeat; **Molchen** quippe sive **Molcken** nostri homines & lac & omne opus lactarium indigitant. Salamandram Germani, quia propter crura brevia tardè graditur, græco nomine μόλγην appellant, ut GEORG. AGRICOLÆ placet, nimirum ab adverbio μόλις derivanti, aut, quia *Varinus*

μολ-

μολγόν interpretatur τὸν Βεφδὺν: Sed cum Etymologia Germanica non desit, supervacuum est externa quærere, &, si dictio μόλγη Græcis in usu esset, uti non est, facta videri posset à lacteo liquore, non minùs quàm Germanica; μολγὸς enim & ἀμολγὸς à verbo ἀμέλγειν, quod est, lac mulgere, derivantur. Præterea Molck (ait *M. M. Lex. Philol.*) possit referri ad μάλκη, quod est stupor ex frigore, μαλακία καὶ δυσκινησία διὰ τὴν τῦ κρύος ὑπερβολήν: unde μάλκιον ψυχρὸν Suidæ. Et Salamandra frigida est, udis & frigidis locis stabulans, tardigrada, & humor ejus densus ac tenax. Ipsum tamen animal suo modo calidum est, plenum humidi & putrefacientis caloris. *Nicander* cum recenset signa hominis à Salamandrâ læsi, ipsâ voce μάλκης utitur. **Maal**/ sive secundùm HADR. JUN. *in Nomencl.* **Malen**/ GESNERUS conjicit, aut â conciso & transposito Salamandræ vocabulo dictum esse, aut à maculis & punctis, quibus toto corpore pingitur atq; distinguitur: **Maal** enim macula, & **Maalen** *pingere* nostri dicunt; idcircò etiam **Puntermaal**/ in quibusdam Germaniæ locis appellatur, à *punctis*, ut à lacertis aquaticis, quæ **Wassermaalen** nominari solent, discernatur. **Moll** deniq; & affinia vocabula, an ab ante dictis græcis, an à germanicis vocibus, an à latin. *Mollis*, vel aliunde deriventur, nondum invenire potui.

§. 3. Plura huc facientia Synonymorum nomina legere licet apud HIER. MEGISERUM *in Thesauro Polyglotto*, qui p. 453. annotavit seqq. (1.) Arab. *Adhaya*, (2.) Ital. *Salamandra*, reperi tamen ego itidem *Salamandro*, fortè ad sexûs differentiam indicandam, ut & *Marasandola*, quæ vox Salamandram aquatilem denotare fertur, (3.) Rhæticè; *Rosada*, (4.) Allobrog. *Pluvine*, (5.) Hisp. *Salamantegua & Salamanquesa*, (6.) Gall. *Alebrenne*, *Arrassade*, *Sourd*, *Salamandre*, (7.) North. *Moron*, vel *Mouron*, (8.) Lugdun. *Laverna*, (9.) Narbon. *Blande*, (10.) Neocom. *That*, (11.) Vascon. *Mirtil* vel *Salimandre*, (12.) Carinth. **Moldwurm**/ (13.) Belg. **Molck**/ **Salamander**/ (14.) Helvet. **Quakertetsch**/ (15.) Angl. *a criket, a beast in figure like, a lysarde*: legi etiam alibi, Anglicè Salamandram dici *Salmender*, (16.) Polon. **Salamandra**/ **Podobny roback Jaszurce**/

zozurce/ (17.) Bohem. Ohmzil/ (18.) Hungar. *Merges tarka menet avaggyech*; rectius autem ALBERT. MOLNAR. *in Lexic. Latino-Græco-Ungarico, p. 835.* Mérges tarka gyèc, h. e. *venenosa variegata Lacerta.*

§. 6. Quando *Salamandra* Hebr. שממית vocatur, sciendum est, propriè vocem hanc significare σαῦραν Φαρμακίδα i. e. Lacertam venenatam, sed propter maximam ejus cum Salamandrâ similitudinem, ipsi quoq; Salamandræ tribui; nam in AETII *Tetrab.* IV. *Serm.* IV. *cap.* LII. *Salamandra, Stellio, & Lacerta venenata, diversa sunt animalcula, sed inter se simillima.* Alias è quatuor animalibus, quorum solertiam deprædicat SALOM. *Prov.* XXX. 24. ultimum est שממית, quod versic. 28. *manibus apprehendere* scribit, & *esse in Regum Palatiis.* De hoc animali, ait S. BOCHARTUS *in Hierozoic. l. c.* magna lis inter Doctores Hebræos, aliis *Vermem*, aliis *reptile alatum*, aliis *simiam*, aliis *araneam* esse id volentibus; tandem iis omnibus refutatis, *Stellionem* esse operosè contendit. Sunt verò, qui שממית per *Schin* scribunt, ut in meo Bibliorum exemplari à MENASSEH BEN ISRAEL *Amstelod.* A. 1635. in 4to *edito*, citato in loco ad oculum patet, ac si fiat à שמם i. e. *obstupefacere.* Quod ipsum, inquit BOCHART. *c. l.* rectè convenit naturæ Stellionis, qui Scorpionem solo visu obstupefacit. Sed in KIMCHIO & *Bibliorum* purissimis exemplaribus, שממית, scribitur per *Sin Semol*; ut סממית per *Samech* in *Talmudicis* & in Paraphrasi *Samaritanâ*: Ita ut deducatur à סמם, non à שמם, i. e. *à veneno*, non *à stupore.* Hinc patet, ut JOH. BUXTORF. *in Lex. Hebr.* refert p. 824. minus rectè vel pravè potius scribi in quibusdam libris per ש. Præterea illa ipsa vox שממית, pro *lacertæ* genere, adeoq; pro Stellione, nobis etiam aliunde nota est. Quippe *Levit.* XI. 30. legitur *Semamitha*, in *Samaritano* interprete, & in *Chaldæis* duobus, *Jonathane*, & altero, cui ab urbe nomen. In illo, pro אנקה: in his pro לטאה, ubi in Græcâ versione καλαβώτης, (hodie aliàs σαμιαμίνθη dicitur,) & *Stellio* in Romana. *Buxtorf.* in *Commentar. Masoreth. cap.* 14. Litera, inquit, majuscula LAMED, de-

notat, inter reliqua reptilia vel maximè ab hoc reptili esse cavendum. Si verò mihi, quid circa rem istam sentiam, paucis aperiendum sit, dicerem, tàm in *S. Proverbiis*, quam *Levitico*, per voces לטאה & שממית Salamandram accipiendam esse, siquidem cum Stellione Veterum nonnulli Salamandram conferunt, tanquam illi simillimam, aut veram ejus speciem, quod, aliis nunc autoribus missis factis, ex Aëtio *Tetrab. IV. Serm. I. cap. LII.* manifestum est, qui Salamandram animal esse simile Stellioni apertè statuit. Neq; aliam B. Luthero fuisse sententiam arbitror, utpote qui in germanicâ Bibliorum versione, vocem **Molch** *Levit. XI. 30.* adhibuit. In *Proverbiorum* quidem allegato loco, dictionem **Spinne** usurpavit, quod שממית apud Hebræos communiter *Araneum* vel *Araneam* significat, conf. J. Buxtorf. *Lexic. Hebr. pag. 824.* si tamen consideretur, Hebræis *Reptilium*, maximè *Salomoneorum* naturam parum esse perspectam, atq; idcirco Salamandram eos Araneæ assimilare, non multùm assertioni meæ hoc repugnabit: Certè in *Tanchuma* sectione וישב *fol. 18. a.* Salamandra describitur Araneæ similis. Verba sic habent; Vitrarii, qui vitrum conficiunt, cùm fornacem accenderunt septem diebus & septem noctibus continuis, ex vi ignis egreditur animal simile araneæ, quod animal vocatur Salamandra. Plura huc facientia videri queunt apud S. Bochart. *in Hierozoic. Part. I. Lib. IV. Cap. VI. VII.* & *Part. II. Lib. IV. Cap. XXIII.*

§. 7. Quare ab *Arabibus* Salamandra dicatur *Adhaya*, nondum hactenus, reperire mihi licuit; quod verò eadem ab iisdem Semenda, Semend, Sendal, Semendal, Semendar, nominetur, Bochartus me docuit, qui post Autorum per hasce voces *Phœnicem avem* intelligentium sententias allatas & relegatas, in *Hierozoico Part. II. Lib. VI. Cap. V.* Salamandram interpretatur. De cetero, ait *l. c. col. 823.* de *Semendal* ab Arabibus nihil scribi, video quod ad Phœnicis Historiam ullo modo pertineat.

neat. Et benè est quod ipsum nomen retegit hanc fabulam, & personatæ avi larvam detrahit. Quis enim est qui non videat **Semendal**, vel **Semendar** esse **Salamandram**, quam in igne vivere constans fama fuit apud veteres. Accedit quod ipsi Arabes in descriptione hujus *Semendal* nullo modo sibi constant: Aliis enim est *Avis*, aliis *muris genus*, qui in ignem ingreditur, aliis rursus est *Animal quadrupes* aliquantò vulpe minus, coloris galangæ, rubris oculis, caudâ longâ, ex cujus pilis texuntur mantilia, quæ cum sordent, in ignem conjiciuntur, & mundantur, nec comburuntur; & in Italia multa hujusmodi reperire est. Hæc, & alia in *Damire*, inquit *Bochart.*, unde Arabes in meris tenebris hic versari patet, & frustra esse viros doctos, qui ex talibus nugis credunt fabulam de *Phœnice* posse statuminari.

§. 8. Jacob. Palmerius à **Grentemesnil** *in Exercitat. ad Theophrast. Lib. de Sign. Pluv. p. 613.* de Salamandra, inquit, agitata est Quæstio in Academico consessu Virorum eruditorum Cadomi, utrum sit id animal, quod Cadomi & in tota Normania vocatur *un Mouron*, in Cœnomaniâ *un Sourd*, in Pictavis & Lemovicis *un Mirtil*, in Delphinatu & Sabaudiâ *une Pluvine*, à Vasconibus verò & Pyrenæorum accolis *une Salimandre*, ab Anglis *Salmender?* Rationes, quas ab utrâq; parte allatas *loc. cit.* fusiùs descriptas invenire licet, hîc, prolixitatis evitandæ gratiâ, sequenti modo digestas proponere lubet: Nempe *Affirmantes* afferebant Rationes hasce sex (1.) Salamandram à Theophrasto σαυρῶδες dici, (2.) Salamandram imbribus ingruentibus foràs exire, ceteris lacertarum speciebus ad Solem prodeuntibus, (3.) Salamandram tardigradam esse, (4.) caudam flexuosam, neq; nimis longam habere, (5.) Salamandram capite in humerum reflexo depingi, (6.) Descriptionem Salamandræ favere: Quæ omnia prædictis etiam animalibus convenire, ad Experientiam provocabatur. *Infitiantes* contrà opinionem suam defendebant rationibus seqq. (1.) Salamandram à Plinio animal stellatum vocari, (2.) vim restinguendi ignis habere, (3.) immensâ vi Veneni præditam esse, (4.) nihil

gignere, nec habere ſexum maſculinum aut fœmininum: Quæ omnia nominatis paulò antè animalibus applicari haud poſſe prolixè oſtendebatur. Sed enim unus ex Affirmantibus regerebat ad [I.] ſe vidiſſe Muronis, vel Salamandræ ſpeciem circa latera notis, velut ſtellis, compunctam: alius ajebat, apud Plinium debere legi *Stelatum* unico, L, nempe voce formatâ à *Stelâ*, i. e. *cippo vel columnâ*, quâ voce utitur PLINIUS *lib. 6. cap. 29.* Ad [II.] vim reſtinguendi ignis pridem pro fabulâ habitam & exploſam fuiſſe. Ad [III.] id animal etiam hodie venenatiſſimum haberi in Galliâ, ſed id in majus traditum fuiſſe, ut ſæpè fit in talibus, fortè & in quibusdam mundi partibus vim venenoſam majorem ineſſe, quàm in cœlo Gallico. Ad [IV.] id contra naturæ legem eſſe, & ARISTOTELEM *de Hiſtor. Animal. lib. 3. cap. 1. & de gener. anim. lib. 1. cap. 3.* Lacertis inſtrumenta generationis tribuere: &, ſi conſtitiſſet, Salamandram, quæ ſpecies eſt Lacertæ, non habere ſexum, & nihil gignere, eam procul dubio excepiſſet ab eorum numero, naturæ & generationis animalium curioſiſſimus ſcrutator, utpote mirum & notabile. Quamvis verò PALMERIUS quoad iſtam liticulam nihil definiverit, atq; integrum Lectori erudito judicium reliquerit, mihi tamen impugnantium rationes multò viderentur leviores, quàm ut Salamandram cum ſuprà recenſitis Gallicis animalculis eandem eſſe infitias irem.

§. 9. Quosdam in Helvetiâ Rhætis finitimos craſſo vocabulo & per *ὀνοματοποιΐαν*, uti videtur, confiƈto, Salamandras vocare **Quatterteſch** / vel **Quaaterteſch** / vel **Quaeterteis** / paulò antè in §. 5. oſtendi: Ratio autem denominationis hujus communiter reddi ſolet iſta; quòd plura id genus animalia ſimul aliquando, eaq; craſſis corporibus, tanquam in uno cumulo, circa vias cœlo pluvio reperiantur. At verò meliorem hujus vocabuli explicationem ſuppeditare dialectum Belgicam autumarem, utpote ubi **Quaet** *Malum*, & **Teit** / *viſcoſum ſive lentum* denotat: profectò Salamandras haud exiguum & eſſe & inferre plerisq; rebus malum; viſcoſas itidem, lentas & tardigradas comparere, nemini, qui unquam aliquas adſpexit, ignotum credo erit. Præterea

dici

dici *Anglis* Salamandram Cricked, citat. §. 5. pariter monui, atq; in AMBROS. CALEPINI *Bergomenſis Dictionario* etiam Anglicè ità poſitum invenitur: Sed RIDDERUS *in Lexico Anglico* **Cricke** exponit *Tettigonia*, cicada focaria; at **Salamander** Salamandra. Τεττιγόνια ſeu Τεττιγενίαι ſunt cicadæ minores. Hinc fortè Athenienſes, ut argumento aliquo ſe αὐτόχθονας & indigenas ceteris probarent, *cicadas* in ſeriem aureas (ut THUCYD. *lib. 1.* loquitur,) crinium cincinnis ſive tortulis innectebant. Vid. ÆLIANUS, qui ob ſvavitatem ſermonis Attici Μελίγλωσσος dictus fuit, lib. IV. c. 22. addatur VIRGIL. *Ciris verſ. 127. ſeq.*

Aurea ſolenni comptum quem fibula ritu
Cecropiæ, tereti nectebat dente Cicadæ.

atq; ob id Τεττιγοφορβῆντες ſive Τεττιγοφόροι dicebantur: Et inſcribitur Liber VARRONIS Atticus Tettix, i. e. *Attica cicada*, ab hoc ritu. Sic & *Belg.* **Nachtkreckel** eſt gryllus, qui noctu ſtridet: **Krackel** eſt cicada; à **krecken**/i.e. *ſtrepere*, quod & *Angl.* creke. HESYCH. κρέκελος eſt θρῆνος, & κρέκειν eſt *ſtridere*: niſi quis, quod *Stridorem* Stelliones & Salamandras edere nonnulli putent, à ſtridore ita dictas velit defendere. *Galli* Salamandram vocant *Pluvine*, quòd pluviam portendat & pluvioſo maximè tempore appareat; nomine itidem *Sourd* eandem inſigniunt, *Surditatis* fortè argumento; iisdem *Blande* dicitur, à *blando*, ſine dubio, & tardo inceſſu; quamvis neq; JUL. CÆS. SCALIGERI opinio mihi ex toto diſpliceat, qui *Blandam* quaſi βλάπτων, dictam *lib. Subtilitat. Exerc. 185.* autumat, quod Vaſcones *horreorum peſtem Stellionem* (ſcribi fortè debuiſſet, *Salamandram*,) eſſe arbitrantur. *Conf. ſuprà Cap. I. p. 10. §. 3.* Cur autem *Northmanis* nomine *Moron* ſive *Mouron* Salamandra veniat, quærendo nondum inveſtigavi, certè *Moron ou Mouron* Gallis *Alſinem* herbam (**Hünerdarm**) ſignificare, ſermonis illius peritos haud latebit; quô igitur conſilio hæ voces reptilibus venenatiſſimis inditæ fuerint, illis vix eſſe poteſt difficile, quibus ejusmodi dialectum intimiùs noſſe datum eſt. *La Verna* quando Salamandra audit, à Gallico forſan *Verni* h. e. *Vernice illitus*, haud

aliena vocis posset institui derivatio, quod eadem pellem coruscantem, quasi Vernice illitam, habeat. Qualiter deniq; reliqua vocabula Salamandræ conveniant, uniuscujusq; privatæ committo indagationi.

Cap. V.

De Salamandræ Definitione, atq; eò facientibus aliis rebus.

§. 1.

ID jam agendum mihi superesse hîc animadverto, quod in principio fieri in omnibus Dispp. oportere quàm rectissimè censuit, *non tantùm perfectus Orator*, judice Lactant. *lib. 1. sed etiam Philosophus* M. T. Cicero, *lib. 1. de Oratore. p. m. 325. edit. Parisin. Rob. Stephani*, A. 1544. ut, quid illud sit, de quo disputetur, explanetur: ne vagari & errare cogatur oratio; si ii, qui inter se dissenserint, non idem esse illud, de quo agitur, intelligent. Certè *Philosophorum omnium ætatum signifer* Aristoteles, duobus, & quod excurrit, seculis, ante Ciceronem, καθ' ὅσων, *ait Anal. Poster. lib. 2. cap. 8. n. 7. edit. Casaub.*, δ' ἔχομέν τι, ῥᾴον, quarum autem rerum aliquid cognoscimus, facilè est, *scil. quærere quid eæ sint.* Sive, ut Greg. Zuccoli *in II. Poster. Translation. cum addend. p. 824.* De quibuscunq; autem habemus aliquid, facilè est habere quid est. Nam *Aristoteles loc. cit.* subjungit, ὥστε ὡς ἔχομέν ὅτι ἐστὶν, ἕτως ἔχομέν καὶ πρὸς τὸ τί ἐστιν, quocirca ut cognoscimus quòd sit, ita sumus apti ad *cognoscendum* etiam quid sit. Vel, ceu G. Zuccoli *loc. cit.* Quare ut habemus *Quod est*, sic habemus nos ad ipsum *Quid est.* Neutiquam tamen in eo positas esse fortunas Græciæ aut Germaniæ, ut omnia quàm curatissimè definiantur, quæ ipsis nominibus suis statim innotescunt, cum Viro Scholis emendandis divinitùs dato natoq; Guil. Mechovio, *in Hermathen. Tract. I. cap. 2. pag. 19.* constanter sentio. Quò minùs autem hoc labore mihi quoq; in præsenti supersedere liceat, quàm multiplex *Salamandræ* superiùs allata Homonymia, quin & pessimè sæpiùs ipsum animal, quod

Sala-

Salamandræ nomine continetur, intellectum, ad eum non penitùs prætermittendum, me inflammant.

§. 2. Si ergò Autores, passim Salamandram describentes, inspicio, haud uno eam modo adumbratam, reperio. C. Plinius Secund. *lib. 10. cap. 77.* Salamandra, *inquit*, est animal lacerti figurâ, stellatum, nunquam nisi magnis imbribus proveniens, & serenitate deficiens; cui tantus rigor, ut ignem tactum extinguat, non alio modo, quàm glacies. M. Martin. *in Lexic. Philolog.* Salamandra, *scribit*, est reptile venenatum, species lacertæ, quæ lento humore suo prunis ignis imposita eas extinguere potest, quibus quidem vincendis mole suâ par ea est, sicut cujusvis animantis caro cruda. Joh. Schröder. *in Pharmacop. Med. Chym. lib. V. Class. IV. num. CXIII. p. 345.* Salamandra est animal quadrupes ex lacertorum genere, nigrum, luteis maculis respersum, incola locorum frigidorum & humidorum, fonticulorumq; limpidorum admodùm amans. Vitriaco (*referente Aldrov. de Q. D. O. lib. 1. cap. 8. p. 640.*) in Historiâ Orientis, Salamandra terrestris est quadrupes, habens faciem lacertæ, caudam prolixam & tortuosam, ungues aduncos & hamatos. G. C. Kirchmaierus, *Eloquentiæ in florentiss. Witteberg. Doctor excellentissimus, Præceptor quondam meus, in studiis maximè humanioribus, si quisquam tum temporis alius, fidissimus, in Disp. de Phœnice A. 1660.* R. *Petr.* Oheimb/ *Lipsiensi, habitâ Witteb. cap. 2. §. 3.* Est autem, *inquit*, (ut breviter explicemus) Salamandra animal venenatum, lacertæ similimum, in Italiâ frequentissimum, nigri flaviq; coloris: caudam haber prolixam ac flexuosam, cutim asperam: lurida, in dorso puncta, ad instar stellularum, obtinens. Wolffg. Franzio *in Hist. Animal. Part. I. cap. 26. p. m. 339.* Salamandra, quasi alba lacerta, similima est lacertis, habens caudam prolixam & flexuosam, pedes aduncos, & acutos, cutem asperam & scabram, venenumq; satis præsens. Joh. Sperling. *in Zoolog. cap. 30.* Salamandra est animal quadrupes, venenosum, homini inimicum, tardigradum, &c. *& ibid. Axiom. I. p. 295.* Salamandra est animal venenatum, nigri & flavi coloris; caudam habens prolixam & flexuosam, cutim asperam,

pedes

pedes acutos; ſtellulas in dorſo gerens, ſeu lucida quædam puncta; Igneæ dicitur naturæ, adeò ut vivere atq; ſupereſſe queat in flammâ. JOH. LANGIO *Epiſt. Medic. lib. II. ep. IV. p. m. 513.* Eſt Salamandra animal lacerti figurâ ſtellatum, & quadrupes, terreſtri crocodilo ſimile, cutis & ſquamarum expers, lubricum & naturâ frigidum; unde ab ejus corpore jugiter lubricus manat & viſcidus ichor, quo ignem extinguit. *Eidem loc. cit. lib. I. ep. 66. p. 328.* Eſt Salamandra animal quadrupes, parvum ut σαῦρα i. e. lacerta, terreſtri crocodilo ſimile, naturâ frigidum, quâ ignem extinguit, nec cutem nec ſquamas habet. JACOB. THEODORUS, à patriâ TABERNÆMONTANUS dictus, **in deß Artzneybuchs Regiſter; Salamander/** inquit, **iſt ein giffiger Wurm/ wie ein groſſer Eydechs/ mit ſchwartzen und gelben Flecken: haltet ſich gern in den Brunnen/ und vergiffet dieſelben.** AETIUS, *Amidenus*, Juliani & Valentiniani temporibus Medicus præclariſſimus, in Tetrabibl. IV. Serm. I. cap. 52. col. 641. ex edit. H. Stephani in Medicæ Artis Principibus, interprete *Jano Cornario*, Salamandra, inquit, animal ſimile eſt Stellioni, aſperius & ſcabrum magis quàm Lacerta venenata. ORIBASIUS, vulgò quidem *Sardinianus*, etiam ab H. Stephani, loc. demum cit. ita dictus, ſed *Pergamenſis* veriùs nominandus, utpote qui ex Pergamo Aſiæ, & quidem Myſiæ majoris urbe, chartæ Pergamenæ, ſecundùm Varronem, inventrice, oriundus erat, ceu EVNAPIUS *Sardianus* in Oribaſio ſcripſit: niſi fortè aliquis inde *Sardianum* dictum pariter eſſe velit, quod Sardibus, Lydiæ capite, Crœſiq; regiâ ſede, diu habitarit, feliciterq; curam ægrorum habuerit: Is *Oribaſius in Medicin. Collect. ad Imp. Julian. ex verſione* JOH. BAPT. RASARII, *lib. XII. col. 438. lit. B.* Salamandra, *refert*, ſpecies Lacertæ eſt, iners, varia, quæ falsò credita eſt igni non cremari. EDOARD. WOTTONUS, *Oxonienſis, de Different. Animal. lib. VI. cap. CIX. p. 94.* Lacerti, *ait*, ſpecies (ut Dioſcoridi placet) Salamandra eſt, lacerti quidem figura, ſed aſpera magis atq; ſcabra: animal ignavum, & punctis velut ſtellis variegatum, nunquam niſi magnis imbribus proveniens, & ſerenitate deficiens. JACOB. GREVINUS, *Claromontanus Bellovacus, Medicus & Philoſophus Pariſienſis præſtantiſſimus,*

lib. I.

lib. I. de Venenis, cap. 29. p. 116. ex gallic. in latin. sermon. vers. ab H. MARTIO, *Medico Augustano*, Salamandra, *memorat*, celebris admodum fuit sub imperio *Francisci Regis potentissimi*, quam ipse pro symbolo sibi delegerat. Fama tamen solùm & nomine, non aliter plerisq; cognita fuit. Picturæ enim omnes quæ hactenus fuerunt ostensæ, tàm veræ Salamandræ, quàm asinus equo respondent. Quod facilè ex eâ quam hîc apposui effigie, eam à Matthiolo mutuatus; quod aliunde nanciscì non possem, cum hoc opus prælo subjicerem, si quis eam cum nostrâ comparare velit, judicare licet. Memini tamen me videre unam in hac urbe, quæ omninò huic similis erat, & membris non ita distincta, corpore limosissimo, & limaces magnos cineritios, qui aliquando in cellis vinariis inveniuntur, referebat. Sed Lacertæ species Salamandra est, cute aspera atq; scabra, animal grave, tardissimum, punctis veluti stellis, Plinio teste, variegatum. Ob quam caussam planè nescio, neq; enim vel hæc, vel aliæ, ad hunc modum formatæ erant. Nihil gignit hoc animal, nisi tempore maximè pluvio, & tota æstate, & cum cœlum est serenum, tota item hyeme, ob ingentia frigora, latitat.

§. 3. Plerasq; allatis his ex descriptiunculis, aliasq;, quæ adhuc quamplurimæ, si chartæ modus habendus non prohiberet, afferri possent, eò collimare opinor, ut ex coacervatione variorum accidentium, & aggregatione notiorum proprietatum, aliqualis saltem *Salamandræ* delineatio exsurgat: Cùm enim differentia specifica, ceu in reliquis proh dolor! infimis speciebus, nobis etiam Salamandræ ignota sit, certè naturæ nostræ fundamentaliter omnia sciendi avidissimæ ut aliquadantenus desiderium impleatur, extrinsecam & accidentalem Rei descriptionem, h. e. qualis potissimùm Salamandra in hoc mundo existat, ex jam ante citatis multiplicium Autorum sententiis, in unum collectam producere non subterfugio. Est igitur SALAMANDRA reptile venenatum quadrupes, figurâ & corporatione, præter capitis & ventris crassitiem, lacertæ

viridi quàm ſimilimum, caudam breviorem, & in pelle pingui atq; renitente colorem nigrum, maculis luteis plerumq; reſperſum habens, locorum frigidorum & humidorum amantiſſimum, hominibus inimicum, tardigradum, pluviam apparentiâ ſuâ prænuncians, & falsò quondam creditum, in igne non cremari. Diſputabis fortè de Definitione iſtâ; (liceat ex HONORAT. FABRI *Evphyandro lib. 2. cap. 7. p. 80.* mutuò quædam ſumere,) hoc unum eſt, ne quid diſſimulem, quod mirari ſatis non poſſum; an fortè aliquid adſtruo dum rem definio? an contendo rem illam in rerum natura exiſtere? quid aliud intendo, niſi exponere, quid tali nomine ſignificetur, vel à me intelligatur? quo revera facto, oppignero fidem meam, nunquam illud in aliâ ſignificatione à me uſurpandum eſſe; calculum eſſe puta, qui veri nummi loco ponitur: annon mihi licet calculis ad libitum uti? *Generis* ergò vicem obtinent verba hæc; *Reptile venenatum quadrupes*; quorum ipſorum ſtatim communitate deprehensâ, Generis conceptum formare haud fuerit difficile. Differentia à pluribus, iisq; diverſiſſimis accidentibus accerſita exhibetur, quæ quidem h. l decem enumerantur, utpote (1.) capitis & ventris craſſitudo, (2.) Lacertæ viridis ſimilitudo, (3.) caudæ brevitas (4.) pellis lævitas, (5.) coloris nigri luteiq; mixtio, (6.) locorum frigidorum & humidorum dilectio, (7.) erga homines hoſtilitas, (8.) greſſuum tarditas, (9.) imbrium ſignificatio, (10.) Ignis domatio.

§. 4. Ex numero *Reptilium* Salamandram eſſe, poſt SETH. CALVIS. *in Theſaur. Latin. Sermon. p. 124.* & JOSEPH. LAURENT. *in Amalth. Onomaſt.* aliosq; plures Autores, ipſe *Reptatus* ejus inſinuat, dum è cavo, tempore maximè pluvio prorepens, & in lucem erepens, aut arboribus aliisq; rebus adrepit, aut in fonticulos irrepit, aut undecunq;, omnia prius perreptans, obrepit. Cave verò

verò dixeris, *Repere & Reptare*, nihil aliud notare, quàm *humi se per ventrem è loco in locum movere*, siquidem Lexicographos consulens, invenies, *Repere* interdum idem denotare, *ac quoquo modo lentè gradi*. Non sum equidem nescius, GALENUM inter τὰ ἕρποντα καὶ βαδίζοντα distinctionem fecisse, sed, si benè memini, limitatam, scil. quatenus τὰ ἕρποντα in propriâ significatione adhibentur. *Dupliciter* enim τὸ ἕρπειν explicari posse, Philologi communiter tradunt; *vel propriè*, quomodo de Serpentibus & Vermibus, quibus pedes desunt, usurpatur; *vel impropriè*, sicq; de pedestribus omnibus, quæ tardiùs gradiuntur sive repunt, dici solet. Atq; hinc lumen fortè aliquod illis Autoribus affulgere arbitrarer, qui *Serpentis* quoq; nomen Salamandræ imposuêre: ALDROVANDUS *Prolegom. in Lib. de Insectis fol. 61. col. 6. lit. B.* Serpens, *ait*, Latinis nonnunquam significat omne animal terrestre, quod se non attollit in gressu, sed humi quodammodo repit, etiamsi quadrupes sit, ut Seps, Salamandra, vel etiam multipes, ut Scorpio, Scolopendra, præsertim si aut morsu, aut ictu venenum inferat. *Plinius* enim Salamandram Serpentem vocat, & Sepa quoq; i. e. Lacertam Chalcidicam. Quam ob caussam benè ALDROV. *loc. cit.* tradit; ἑρπυστικὰ καὶ ἕρπετα, non ea solùm, quæ Serpentum more repunt, significant, sed & alia quoq;, ut quadrupedes parvas, quæ apud *Aristotelem* unguibus numerosioribus apprehendendo faciliùs obrepunt ad superiora. Num deinde ad Insectilia pariter Salamandra trahi queat, in disquisitione adhuc positum est: certè si quis veram nominis *Insecti* rationem investigaverit, haudquaquam Insectis Salamandram accensebit. Non autem aliunde melius quàm ex ARISTOTELE & PLINIO addisci ea potest: illius verba hæc sunt *lib. 1. Histor. Animal. cap. 1.* latinè ita sonantia; *Insecta autem appello, quorum corpus incisuris præcingitur, aut parte tantùm supinâ, aut etiam pronâ.* Hujus *lib. 2. cap. 1.* talia legas; *Insecta appellata ab incisuris, quæ nunc cervicum loco, nunc pectorum atq; alvi* præcinctu *separant membra tenui modo fistula cohærentia.* Ubi obiter observo, in antiquis & recentibus

prælo excusis pro *præcinctu* esse *præcincta;* sed prius illud sententiam exigere G. J. Vossius *in Etymolog. LL. f. 267.* docet, seq; id in veteri antigrapho reperisse testatur Hadr. Junius. Josephus tamen Laurentius *in Onomastico Italico-Latino* ista omnia non attendendo, Salamandram sub *Titul. de Insectilibus* redegit, quod etiam aliis nonnullis Autoribus haud inusitatum esse comperio: in *latiore* igitur *significatione* illi vocem istam adhibuerint necesse est, quàm communiter fieri solet, num verò eadem, utpote naturam vocis evertens, à peritiore Logodidascalo itidem admitti queat, valde dubito. Scilicet non tàm inter ἔνπνια & ἄπνια, quàm ἄναιμα Salamandra referenda erit, cùm latiùs multò pateat *ἀναίμων*, i. e. *exanguium* vox, quàm *insectorum;* & Salamandra *propriè sanguinem non habeat*, sed mucorem sive saniem sanguini respondentem. Præterea Salamandræ nonnunquam nomen Vermis esse Tabernæmontanus *loco supra pag. 40.* citato innuit, neq; Andr. Corvinus *in Font. Latinitat.* abnuit, *Salamandra*, inquiendo, *Vermis est maximè venenatus.* Hos etiam alios Autores similem sententiam foventes, M. Martin. refutat, quando in *Lexic. Philolog.* Aliquando, scribit, Salamandra, lingua vulgi imperitiore Serpens aut Vermis appellatur, quòd (ut Gesnerus ait) barbari scriptores eorumq; interpretes, Serpentium, Vermium, Lacertorumq; nomina more suo confundant. Sed si paulò ante allata τῶν ἑρπύλων distinctio attendatur, non video, cur Salamandra nequeat vocari *Vermis?* maximè quod secundùm Vossium *in Lexic. Etymol. LL.* Vermis ab ἕρπω repo, unde ἀναλόγως fit ἕρμια, deduci posse videatur; quin si etiam consideretur, eundem loc. dict. planè censere, Vermen ab Æolico ϝέλμινς i. e. lumbricus, hocq; ab Hebr. רמש h. e. reptile, venire, optimo sanè jure Vermis nomen imponi Salamandræ posse autumarem.

§. 5. Salamandram reptile *venenatum* dici debere, post innumera experimenta periculosissimè facta, unanimus omnium Autorum consensus approbat. *Quatuor* eam *pedibus* reptationem suam perficere, ocularis ubivis locorum instituta demonstrabit inspectio: *Cur* autem pedibus quatuor? Theodatus Osius,

Medio-

Mediolanenſis, *in novarum opinion. ſylv. cap. 29. p. 72. ſeq.* oſtendit. *Figurâ & corporatione* Lacertæ viridi quàm ſimilimam exiſtere Salamandram, præter quotidianam ferè illius contemplationem, PETR. ANDR. MATTHIOLUS *Comm. in lib. 2. Dioſcor. c. 56. fol. 197.* annotavit; Salamandra, inquiens, corporis magnitudine formâq; Lacerto ſimilis eſt, verum capitis ac ventris craſſitudine excellit. Quem ipſum anteambulonem dubio procul ſecutus eſt JOH. JONSTONUS *in Hiſt. Nat. de Quadr. lib. 5. c. 3.* Salamandra terreſtris, lacerto viridi eſt ſimilis, caput & ventrem, quæ craſſiora, ſi excipias. De *breviore caudâ* Salamandræ licet res nota atq; omnibus pervulgata eſſe deberet, invenias tamen aliquos caudam *prolixiorem nimisq; longam* eidem tribuentes, quos inter VITRIACUS eminet, qui caudam longam & tortuoſam, ungues aduncos & hamatos illi adſcribit: quæ hallucinatio an vagæ Pictorum licentiæ, an minùs rectè factæ à lacertis diſtinctioni, an alteri cuipiam cauſſæ imputanda ſit, meum in præſenti non eſt judicare, hoc tamen non prorſus reformidarem aſſerere, Salamandram, uti pauciſſimis vel plane nullis hominibus unquam taliter viſam eſſe, qualiter quidem à Veteribus quibusdam depicta eſt, ſic etiam hodie illorum plerumq; veſtigia legentes, non poſſe non in errorem induci: quare verò *caudam* habeat? ex OSIO diſces, qui l. c. p. 73. rationem reddit, cur quadrupeda habeant caudam. *Colorem* Salamandræ quod attinet, in eo pariter conſpirant Autores: MATTHIOLUS loco paulò ante adducto ait; Color illi niger, luteis non minimis infectus maculis, quadam lævitate pellucidus; JONSTON. l. c. infit, Salamandra habet colorem nigrum maculis luteis inquinatum, ſed quadam lævitate pellucidum. Geſnerus unam in Alpibus invenit, totam fuſcam, absq; ſplendore, caudâ brevi, ſuccus lacteus à percuſsâ dimanabat. Matthiolus in quibusdam Germaniæ ſylvis, dorſo nigerrimas, ventre rubentes obſervavit. P. GASP. SCHOTTUS, (de quo ATHAN. KIRCHERUS mihi Romæ exiſtenti narravit, ſe illi facillimam viam librorum componendorum præmonſtraſſe,) *in Phyſic. Curioſ. lib. VII. cap. VIII. p. 706.* pari voce & ſimili ſpiritu loquitur, Sala-

mandra habet colorem nigrum, maculis luteis inquinatum, ſed quadam lævitate pellucidum. Geſnerus invenit unam in Alpibus totam fuſcam, absq; ſplendore, caudâ brevi, à quâ percuſsâ dimanabat ſuccus lacteus. Matthiolus in quibusdam Germaniæ ſylvis obſervavit dorſo nigerrimas, ventre rubentes. Atq; talia plurimorum Autorum ὁμοψηφίντων teſtimonia quamplurima facillimum eſſet adducere, niſi, uti jam apparuit, unum ex alio, ne unico quidem verbulo vel immutato vel transpoſito, ſingula exſcripſiſſe animadvertiſſem. Hoc ſaltem adhuc adjiciam, haud incredibilem videri conjecturam, ſi quis ex varietate locorum varietatem chromatiſmorum Salamandriorum aſſumſerit: prout enim cœlum illic majore fervet æſtu, hic puriore incorruptoque aëris tractu definitur; illic terra iſtis, hic aliis mineralibus oppleta eſt, ita Salamandræ colores alibi nigriores, alibi magis lutei, alibi flavi, alibi rubei, alibi etiam alii exiſtunt. Jam, quod Salamandra *pſychrophila & hygrobia* ſit, pariter demonſtrandum eſſet, niſi hoc tùm experientia, tùm conjunctæ Scriptorum ſententiæ evincerent. Quam *infenſa* ſit Salamandra homini, ſi fortè, quod nolim ſtatuere, aliquem lateret, ſcriptura ſacra docere poteſt, quæ nobis reptilium naturam horribilem & odibilem paſſim proponit. *Tardiorem* Salamandræ *motum* frigidum ejus temperamentum indicat; quo namq; calidiore animal quodpiam præditum eſt, eò etiam citatiore utplurimum fertur gradu. Quod *pluviæ* Salamandræ apparentiâ ſignificentur, itidem in confeſſo eſt; unde verò illa pluviæ præſenſio & prænuntiatio in Salamandra exoriatur, nondum adeò exploratum habetur: certum eſt, ſubtiliorem quibusdam animalculis (vocem hanc à KIRCHERO *ex Art. Magn. Luc. & Umbr. lib. 1. cap. 7. fol. 86. mutuare liceat,*) ſenſum eſſe, antequam enim collectæ cœlo nubes in pluviam reſolvantur, frigidulus communiter evadit aër, qui ſenſu penetrantiſſimo à nonnullis brutis perceptus, ex latebris non ſolum ea elicere, ſed quoq; ad varia, communiter aliàs ferè inſuera, perpetranda inſtigare ſolet. Quæ de *ignis domatione* ultimò hîc afferri poſſent, ea, ceu in ſequentibus enucleanda prolixiùs, peculiari capitulo reſervo.

CAP.

CAP. VI.

De Salamandræ Divisione, Sexu & Differentiis.

§. 1.

ETsi *ordine doctrinæ* primò agendum mihi fuisset de *Divisione* Salamandrarum, quippe ad Definitionem constituendam quàm maximè conducibili & necessariâ, neq; aliquem latere arbitrer, res debere distingui, antequam definiantur, Descriptionem tamen Salamandræ prius afferre volui, *ordinem* partim *naturæ* attendendo, quo progressus fieri solet plerumq; ab iis, quæ sunt naturà notiora, conf. JOH. SPERLING. in medit. 4. de Subtil. p. 82. partim *Consuetudinem* respiciendo, quà vulgò Descriptiones præmittuntur; Divisiones autem subsequuntur. Ceterum res ipsa docet, quantum lucis rerum cognitioni bona divisio affundat, ut manifestæ experientiæ refragari videatur, qui negare id ausus fuerit, vid. HORNEI *Instit. Logic. lib. 1. q. 5.* ne igitur quoad hanc etiam partem aliquid in præsenti exercitatione transmisisse videar, ea hoc loco pariter adducere pergam, quæ communiter hoc in negotio sciri & inveniri queunt.

§. 2. Nimirum duæ à plerisq; Autoribus physicis afferuntur Salamandræ Species; altera est *terrestris*, altera est *aquatica*: Sic ALDROVAND. de Q. D. O. lib. 1. cap. 8. duplex, ait, Salamandræ genus assignari, omnes Autores referunt. Sic SCHOTT. *in Physic. Curios.* l. 7. c. 8. p. 706. Salamandræ duæ sunt species, terrestris alia, alia aquatica. Sic JONSTON. Hist. Nat. de Quadr. lib. 4. cap. 3. duæ ipsius (Salamandræ) sunt species, alia enim est terrestris, aquatica alia. De *Terrestri* sciendum, eam Lacertæ viridi esse similem, exceptis capite & ventre, quæ crassiora sunt, caudam habere breviorem, colorem plerumq; nigrum maculis luteis interstinctum atq; lævitate quadam pellucidum, in terræ cavernis foraminibusq; juxta semitas & in opacis uliginosisq; locis stabulari, æstate ob Solis fervores, itemq; hieme ob urgentissima frigora, suis è latebris non exire, verno autem tempore apparere, atq; etiam

etiam autumno, cœlo maximè pluvio, homines odio prosequi, & ad gressum esse tardiorem, visu horribili atq; abominando, ita ut facilè illius adspectus hominibus nauseam pariat. Variæ autem terrestres ejusmodi Salamandræ sunt *formæ, coloris & magnitudinis*, ut certi hîc quippiam definire, idem sit, ac aleatori ante ludi exitum victoriam polliceri. Sanè Salamandræ, ceu frigidi temperamenti animalcula, grandiora sint in locis calidioribus atq; coloratiora necesse est; nam ut bene THEODOR. METOCHITA *in paraphras. Aristot. de brevit. Vitæ & longit. p. 550.* in locis calidioribus majora sunt quæ secundùm naturam frigidiora sunt animantia, ut serpentes & lacertæ, (addo ego, atq; harum species Salamandræ,) conf. ARISTOT. *de brevit. Vit. & long.*

§. 3. Nunc ad *aquaticam* Salamandram adumbrandam progredior, quæ à MATTHIOLO l. c. describitur h. m. est & Salamandræ aquaticum genus, capite terestribus breviore, rotundioreq; caudâ, anguillarum modo, nigro undiq; dorso, ventre autem rufescente, luteis maculis respersо, horrendo aspectu, æquè atq; terrestre. SCHOTTUM *in Phys. curios.* consulens, reperio ista: Aquatica Salamandra, aliis lacertus aquaticus, cordulus, & scincus aquæ dicitur. Variæ quoq; sunt ipsarum formæ & magnitudines. Lacunis opacis & pingui solo sitis delectantur, aquis inprimis, in quibus limus albus est. Ibi sub petris hærent, & raro ad superficiem veniunt. Pellis adeò dura, ut gladio resistat. Ex vulneribus lactea sanies prodit. Sunt & hæ virulentæ: testatur enim NIEREMB. *lib. 4. H. N. cap. 19.* aquatili Salamandræ imputandam subitam necem totius cœnobii, præter coquum, qui nondum cibum sumserat. Tardè & hæc ingreditur. ANDR. CHIOCCUS, Medicus, in Museo *Franc. Calceolar. Jun. Veronens.* Sect. VI. pag. 676. titulum ponit istum; *Salamandra aquatilis*, sed pauca huic rubro respondentia nigra illic invenies, maximamq; partem de terrestri Salamandra sermonem esse, reperies, apponam quæ ibi leguntur verba: Lacertæ species Salamandra; Lacerto tamen vulgari crassior, ventre pallido, crassiusculo, longa circiter dodrantem, cutis pars flava, auripigmenti colore, utraq; splendens, linea per dor-

dorſum nigra, punctis quibusdam orbiculatis, ceu ocellis impreſſa, talem à ſe viſam *Geſnerus* fatetur, loca frigida & humida incolit: Quæ in lacunis degit, ibi diu vivit, niſi (exhauſta aqua) terreſtris fieri cogatur, quod ſæpè contingit; *Genitrices* dictæ caudam oblongam habere dicuntur, ut Lacertarum genus, quæ ex iis genitæ caudam depreſſam anguillarum inſtar obtinent, tali nempe propter natatum in aquis eguerunt, ex cœnoſo limo initio aluntur; dumq; propter aquæ defectum terreſtres redduntur, caudam rotundatam aliarum Lacertarum modo præferunt: In terræ cavernis degentes, ex cochleis, vermibus aliisq; hujusmodi aluntur rebus: ferræ inſtar dentes, absq; caninis obtinent: Venenum ex ore fundunt lactei coloris ad flavum vergentis craſſiore ſubſtantia: à re aliqua permoleſta irritatæ è toto corpore emittunt ſudoris inſtar lacteum ſuccum prædicto ſimilem, quem præſens venenum eſſe omnes jure conjiciunt.

§. 4. Quemadmodum ergò *terreſtres* Salamandras, variæ formæ, coloris & magnitudinis, paulô ante, eſſe dixi; ita cum *Schotto* aliisq; Autoribus *aquaticas* pariter variæ formæ, coloris & magnitudinis exiſtere pronuncio. Si cui tamen ad certas claſſes redigere placeret Salamandras aquaticas, non diſpliceret modus à JONSTONIO l. c. obſervatus; *Aquatica*, inquiente, *Salamandra* (AMBROSIN. *l. 1. de Digit. Ovip. c. 9.*) aliis Lacertus aquaticus, Bellonio Cordulus, Monachis qui in Meſuen commentati ſunt, Scincus aquæ, cum lata cauda dicitur. *Quadruplex* ipſarum genus eſt. *Unum* cum cauda, figuræ rhombi, quam Ambroſini, ad diſtinctionem dicimus. *Linguam* habet breviſſimam & latiuſculam: dentes exiles, ut viſum effugiant. *Caudam* in medio craſſiuſculam, quæ prona & ſupina ad inſtar figuræ rhombi contrahitur: *Pedes* anteriores in quatuor, poſteriores in quinq; digitos fiſſos: *Cor* ſpongioſum, quod dextro lateri incumbit: cujus auricula ſiniſtra majorem pericardii partem occupat: *Lienem* ſubrubrum: *Renes* ſpongioſos: *Hepar* nigerrimum: *Ova* magnitudine piſi in bicorni utero ordine quodam digeſta gerit, ex quibus poſtmodum vivi fœtus erumpunt. Bellonius ei tergus tu-

ber-

berculis horridum adscribit; Agricola colorem cinereum, vel in cinereo fuscum. Illa, quam Gesnerus secuit, longitudine erat septem digitorum, colore nigra cum punctis albis in Ventre: reliquum corpus nigrum punctis concoloribus asperum: *Alterum* genus est quoq; *duplex*, unum majus, semicirculis in dorso albicantibus distinctum: alterum minus. Quartum est Matthioli, Utinensibus frequentissimum, capite rerrestribus rotundiore & breviore, caudâ anguillarum modo, dorso nigro luteis maculis insignito. Lacunis opacis & pingui solo sitis delectantur, aquis inprimis, in quibus limus albus est. Ibi sub petris hærent; & rarò ad superficiem veniunt. In vas aquâ plenum conjecta à Gesnero quædam os proferebat. (mihi simile quid attentanti, conglobatæ fundo vitri adhærebant, & aquâ commotâ ascendebant quidem, sed eâ considente, itidem ad fundum considebant,) Lento gradu in terrâ progrediuntur, (*vid. Agricol. de animal. subterran.*) & ora tenaciter claudunt, nec. aperiunt, nisi violenter expressseris.

§. 5. Quæ Joach. Camerar. *Centur. IV. Emblem.* LXX. pag. 140. de Salamandra aquatili habet, convenire videntur cum *Salamandra Batrace* dictâ, sic autem ille d. l. infit; Salamandra aquatilis Lacertum refert propemodum corporis specie, caput maculis albis refertum habet, & in dorso pinnulam rectam per totum, oris rictum ranæ similem, caudam, ut in cobitide fluviatili vel potius in anguilla cernimus, nonnihil latam: degit in fluminibus & stagnorum ripis, & per fulgetra & tempestates caput exerit. Plinius scribit, nunquam nisi magnis imbribus provenire, & serenitate deficere. De Salamandra verò *Botrace Aldrov. de* Q. D. O. lib. 1. cap. 1. p. 596. Salamandram *botracem, quasi batracem* denominari multi Autores autumant; quoniam hoc animal faciem ranæ præ se ferat, quam Græci *Βάτραχον* nuncupant. Unde Grevinus *de Venenis lib 1. cap. 29.* est & alia, inquit, bestia venenata, quam *Salamandram aquatilem* vocant, propterea quod utplurimum in stagnorum ripis & fontibus habitat, è quibus aliquando in terram prosilit. Corporis specie lacertam refert, nisi quod capite est

latiore

latiore paulò, *oris rictu simili ranæ*, cauda acuta & longa, quemadmodum doctissimus *Rondeletius* eam in libris suis de piscibus ad vivum expressit, ubi dicit, hujus animalis venenum vires habere longè imbecilliores, quàm Salamandræ terrestris, & evidentissimis, maximeq; necessariis rationibus demonstrat, hanc non esse Scincum, ut plurimi Pharmacopolarum existimant.

§. 6. Num Salamandra ex eo animalium genere sit, *quibus*, ut Florus *lib. 3. c. 6. n. 6.* loquitur, *aquam terramq; incolendi gemina naturaest*, penitus in dubium revocare nolo, ut enim taceam optimæ notæ Scriptores inveniri, qui hoc affirment, quos inter modò quidem mihi succurrunt Camerarius l. c. & Joseph. Laurent. Salamandram ex Rhodigino *amphibium* esse *in amalth. onomast.* referens, ita vocem ἀμφίβιον latè accipiendo, non difficulter id defendi posse credo: quid quod experientia testatur, Salamandras aquaticas lacûs vel fontis aquis omnibus exhaustis, terrestres fieri. De Salamandris verò terrestribus aliquantisper ambigere licebit, quippe quas aquis injectas non diu supervixisse sæpius audivi, ex maceriis maximè domorumq; ruinis, vel cellarum ruderibus protractas. Aliàs profectò, cùm humidorum & frigidorum Salamandra sit amantissima, aquas eam odisse iniquum fuerit asserere. Placent ergo, quæ G. Rondeletius de Salamandra aquatili habet; *amphibium hoc sive aquatile tantum* (animal) *appellare mavis*: prout scilicet utraq; vox capitur, ita Salamandra & amphibium & aquatile animal vocari potest.

§. 7. *Sexum* Salamandrarum quod concernit, divisus est ille ut aliorum animalium natura, in marem & fœminam. A qua sententia recedunt Georg. Agricola, qui, referente *Nieremb.* H. N. *lib. 6. cap. 1. pag. 94.* Salamandræ nec masculinum nec fœmininum genus esse, arbitratur: Plinius, qvi notante *Aldrov. lib. 4. de piscib. cap. 14. pag. 546.* scribit, Salamandris non esse genus masculinum fœmineumve, sicut neq; Anguillis, omnibusq; quæ nec animal nec ovum ex se generant. Matthiolus, *qui Comm. in lib. 2. Dioſc. cap. 56. fol. 199.* neq; est, ait, in Salamandris genus masculinum fœmineumve, nascuntur enim ex putri quodam humore

terræ. JOH. BAPT. PORTA l. 2. c. 2. p. 53. ex Plinio statuit, ex Salamandris neq; genus esse masculinum neq; fœmininum, sicut neq; in anguillis, omnibusq;; quæ nec animal, nec ovum ex se generant. Sed enim dolendum, homines manifestissimæ etiam sese opponere Experientiæ, vel si hoc non fiat, minus saltim accuratam naturæ instituere rimationem. Anatomicos certè reptilium & insectorum si consuluerimus, accipiemus ab iis, Salamandras testiculos habere, Salamandras uterum gestare; Salamandras renes posidere atq; omnibus illis organis præditas esse, quibus sexus differentia constitui solet: ubi ergò tàm sexus masculini quàm fœminini testimonia, organa, vasa, &c. distinctè adsunt, ibi necessario & marem & fœminam dari quilibet ratione utens affirmabit.

§. 8. *Differt* Salamandra (1.) *à Lacerta*: colore, qui hîc plerumq; viridis gratiorq; est; illic fuscus, luteus, rubeus, & horribilis: corporatione, quæ hic tenerior, illic crassior apparet: Motu, qui hîc agilis celerq;; illic tardior visitur: Veneno, quod hic mitius; illic pestilentius funditur. (2.) *à Scincis*: pro Scincis, scribit LANG. *lib. 1. epist. Medic. 66.* Pharmacopolæ, de censu & genere lacertarum, Salamandras virulentas & parvas illarum soboles, has in dorso nigras, illas versicoloribus maculis variegatas, utrasque verò emicantibus à temporibus oculis, in ventre imo fulvo colore flavescentes, & sine squamis lubricas (heu facinus flagris dignum,) noxia pro salubribus, virus letale prò antidoto nobis offerunt, similitudine quam Salamandra cum Scincis veris habet decepti. Unde Politica Maxima sponte fluit: *Boni Magistratûs in benè constituta Rep. officium esse tàm Pharmacopoliorum quàm Pharmacopœiorum curam quàm diligentissimam gerere*, conf. THOM. GARZON. PIAZZ. *univers. discurs. 89.* CASSANÆUS *catalog. glor. mund. part. 2. considerat. 48.* Præterea sunt in agro Vicentino, MATTHIOL. *cap. 60. p. 201.* narrante, lacus quidam, qui Scincos etiam gignunt, sed minutulos ac nigricantes, quibus sæpius utuntur seplasiarii deficientibus marinis, non sine magno fortasse hóminum discrimine. Reprobat hoc *Fuchsius* quoq; *lib. 1.* de compositione medicam.

dicam. sic inquiens: Scincus animal est in aquis degens, lacertæ magnæ simile, sed ventricosius: cauda lata, ut anguilla, ad natandum apta: quapropter quos officinæ subjiciunt, cum duabus caudis, veri non sunt, sed ex Vicentino agro allati. hæc ille. Qui tamen dum aliorum errorem meritò damnat, ipse (pace viri alioqui clarissimi dixerim) in alterum non minorem mihi quidem incidisse videtur, quod existimaverit, legitimum Scincum regi lata cauda ad natandum, anguillæ modo. Quandoquidem Fuchsii Scincus, quo Forojulienses ager, & quæ circum Utinum civitatem stagnantes sunt aquæ, maximè scatent: & cui lacertæ magnæ corpus, tumidus venter, ac maculis varius, rotundum quadantenus caput, anguillæ cauda, nigrumq; dorsum est, Scincus verus non est: Sed potius animal *Salamandræ* generi adscribendum, quod terrestrem Salamandram non paucioribus referat notis, quàm aquatiles testudines terrestres repræsentant. Ob id itaq; rectè Utinenses hoc animal *Salamandram aquaticam* vocant, abhorrentq; maximè, quod inter venenata omninò reputent. Huic sanè cum Ægyptio Scinco nulla est cognatio: quippe Ægyptius capite constat longo, dorso quadantenus elato: ventre lacerta non majore: corio squamis subluteis, numerosis, minimisq; in universum referto: cauda lacertæ modo tereti, breviore tamen: cæsiaq; à capite ad caudam discurrente linea. Talis nimirum Scincus est, qui quotannis ab Alexandria Ægypti Venetias numerosus convehitur. Veri autem Scinci effigies apud *Matthiol.* l. c. videnda prostat, ex quâ inspectâ, optimum & differentiâ Scinci & Salamandræ judicium feretur. (3.) *à Cordilo*: hic enim branchias, Salamandra verò pulmonem non branchias habet. ARISTOTELEM audiamus *de Respiratione, cap. 10.* è pedatis quæ novimus unum tantummodo branchiatum est, *Cordylus* nomine *Id. de Hist. Animal. cap. 2. f. m. 686. lit. b.* Sed altero illo modo aquatilia sunt, temperationem corporis dico, & victum, ut quæ accipiant quidem aërem, sed in humore ætatem degant: aut quæ accipiant quidem humorem, & branchias habeant, sed terram petant, unde cibum accipiant: quale unum adhuc tantummodo

novimus, *Cordulum* nomine: hic enim non pulmonem, ſed branchias habet, egreſſusq́; cibum petit in terra: & quadrupes idem eſt, ut ad ambulandum idoneus. *Audis igitur*, ut Guil. Rondeletius *Doctor Medicus & Medicinæ in Schola Monſpelienſi Profeſſor Regius, in univerſ. Aquatil. Hiſtor. part. ult. Lib. de Amphib. cap. 3.* Cordylum branchias habere: at hoc animal (Salamandra aquatilis) quod pro Cordylo proponitur pulmonem non branchias habere docet diſſectio. Præterea non potius in terra cibum quæritare quàm in aquâ vivere experientiâ comperi: nam multos dies in aquâ vivere experientiâ comperi: nam multos dies in aquâ ſolùm, vivum hujusmodi animal alacre conſervavi nullo prorſus alio cibo injecto. (4.) *à Stellione*: differre enim Salamandram, (ſcribit M. Martin. *in Lex Philol.*) & Stellionem, clare docet *Geſnerus*: conf. Sperling. *in Zoolog.* ſecundùm Bochart. *part. 1. Hieroz. col. 1073.* Salamandra Stellioni ſimilis eſt, aut etiam ejus ſpecies. J. C. Scalig. *Subtil. exerc. 185. circa fin.* Salamandra, inquit, cum his iisdem, quibus Stellio, notis depingatur, an eadem ſit eo, quem vidimus, Stellione, incertus ſum. Omnia conveniunt ſigna. Figura, color, fœditas, torpor. & poſt aliqua interjecta: Plinio, pergit, ſi credas, non ſolum non erit Salamandra Stellio noſter, ſed ne Græcorum quidem Aſcalabotes. Nam Salamandræ ſolo afflatu noceri magno agrorum tractui; quod non facit Stellio. Sed & transmarino Stellioni acerbos eſſe ſtridores, noſter autem iners eſt; eum tamen deſcribit lentiginoſum. Fraternizare igitur, cum Angel. Aretino Salamandram, ut cum Lacertis, ſic etiam cum Stellionibus crediderim, unum verò idemq́; animalculum eſſe, haùd ita facilè perſuaderi poſſum. (5.) *à Chamæleonte:* quod præter alios Autores egregiè comprobat A. Kircherus *in Art. Magn. Luc. & Umbr. lib. 1. part. 3. cap. 7. fol. 86. ſeq.* ubi figuram chamæleontis ad vivum artificiosè expreſſam adſpicere licet. Siq́; nihil aliud differentiam hanc doceret, ſaltim *chromatismus* chamæleontis quàm maximè mutabilis id adſtrueret: hoc quippe, ceu Joh. Caramuel. *in Theol. Moral. Fundamental. lib. 1. cap. 1. §. 407.* loqui amat, ſoli chamæleonti

leonti datum, quod vulgò dictum est, de corio suo ludere. (6.) *à Crocodilo*: quæ differentia, in formâ, colore, squamis, victu, habitatione &c. potissimum consistit. Memini etiam Recentiores aliquos Scincum & Crocodilum terrestrem promiscuè usurpare, ac si sint idem animal, ut *Gesnerus, Rondeletius, & Marcell. Vergilius in Dioscor.*, quod itidem ad obtinendam distinctionem haud leve afferret momentum. Neq; scio quenquam asseruisse, crocodilum ceu Salamandram in igne perdurare, ut vel hinc appareat, diversa esse animalia. Quapropter arridet mihi illa *Matthioli in Comment. Dioscor. l. 6. c. 4. fol. 659.* Varia sanè sunt hujuscemodi animalium genera, de Lacertis, chamæleontibus, Scincis, crocodilis, stellionibus, & Salamandris loquentes: quippe quoniam in unoquoq; horum genere, habentur differentiæ tùm formæ, tùm coloris, tùm magnitudinis.

Cap. VII.

De Salamandræ Iconibus.

§. 1

Si ullâ unquam ætate, hac profectò nostra in res cujusvis generis æri incidendas promiscuè insumuntur sumtus æquè ac operæ diligentissimæ: Præterquam enim quòd anteactis etiam temporibus chalcographica viguerint studia, & cultores illorum in haud una tabella nominis famam acquisiverint; nescio tamen, quo semper discrimine attento, hæc præ illis, aliaq; præ aliis electa fuerint, atq; tunc demum digna judicata, quæ sculperentur. Effigies certè hominum, Plinio *lib. 34. cap. 4.* autore, non solebant exprimi, nisi aliquâ illustri caussâ perpetuitatem merentium, primo sacrorum certaminum victoria, maximeq; Olympiæ: ubi omnium qui vicissent, statuas dicare mos erat. Eorum verò, qui ter ibi superavissent, ex membris ipsorum similitudine expressa, quas iconicas vocant. Hodierno seculi usu, sine ullâ adhibitâ distinctione, quæcunq; volueris, exsculpuntur, dummodo sufficiente pecunia laborem artificis redimere queas: quanquam in omni-

omnibus ferè locis, si maximè ignominiosa, injuriosa, contumeliosa, sive in publicas sive in privatas personas fuerint dissèminata, modò poenâ pecuniariâ audacia ejusmodi coërceatur, modò ferulis castigetur, modò ipsâ vitâ puniatur; uti de his pluribusq; aliis hoc circa negotium scitu aliàs dignissimis JCti aliquem perdocere possunt.

§. 2. Manet verò artificio huic cælatorio nihilominus sua laus, neq; illo abutentes præjudicium facere de arte ipsa sustinent: Hæc siquidem ars non patitur intercidere figuras, aut vetustatem ævi contra homines valere; hæc ars absentia tanquam præsentia sistit; hoc ars immortalitatem non solùm dat, verùm etiam in omnes terras mittit; breviter, hæc ars tot utilitatum genitrix est, quod stellarum receptaculum est cœlum. Ut ita literarum quoq; Studiosi eam prorsus negligere non deberent, peculiariter ii, qui vèl Mathematicis disciplinis ingenium acuere, vel peregrinationibus certum aliquod tempus impendere cogitaverint: Sic enim & illi rectiùs omnia exprimere, & hi cuncta oculis subjecta fidelius memoriæ imprimere poterunt. Benè nimirum P. Schererum Jesuitam, Mathematum Professorem ingeniosissimum, mihi A. 1666. Friburgum Academiam Brisigaviensem adeunti, atq; de Cometis, data tunc occasione, sermonem habenti, respondisse memini; se nuperi cometæ cursus cœlestes propriâ manu cupro insculpsisse, cujus ectypum etiam ostendendo, addidit, se artis hujus cognitionem nolle cum Attalicis quibusvis gazis permutatam. Neq; abludunt illa Vossii *in libell. de Rat. Stud.* Graphice est ars pingendi, ac in peregrinationibus etiam plurimum juvat. *conf. Idem de IV. Artib. Pop. c. 5.*

§. 3. Si jam de animalium, vegetabilium, mineralium, reptilium & insectorum mille inciſis ære figuris cogitavero, bone Deus! quot typi, quot archetypi, quot sculpturæ, quot picturæ se se adspicientibus offerunt? Atq; ut alia omnia hac vice prætergrediar, quot quæso artifices in unâ exprimendâ *Salamandra* laborarunt? pleriq; tamen, præcipuè ex Veteribus, monstrosam eam,

cam, fabulosam, planeq; deridendam effinxere ; causſa erat, quod non ex ἀυτοψία, sed ex hujus vel alterius saltem Autoris ingenio natâ relatione illam delineabant. Hinc *caput* Salamandræ nunc Serpentinum, nunc ovinum appingebant ; hîc Draconis, illic Canis formâ idem exprimebant ; alibi rictu hiante, linguâq; bisulcâ exsertâ, & iterum alibi eodem arctissimè clauso, protuberantibus & scintillantibus oculis fingebant. quin & MERCERUS in editione Hori Romanâ, *Salamandras bicipites* Lectori exhibuit. *Collum* itidem in sexcentas species configurabant ; videas enim id recurvum, obtortum, elongatum, abbreviatum, incrassatum, extenuatum, gyratum, similibusq; modis aliis quàm mirissimè adumbratum, ut quodnam ex totuplici collorum genere genuinum sit, penitus ignorare debeas. *Ventris* & reliqui corporis structura, vel in stupendam turgescentiam grandescit, vel in articulosam gracilitatem compingitur, vel aliâ quacunq; ratione deformatur, siquidem & alæ, & squamæ, & vellera, & setæ, & infinita alia, tegumenti aut ornamenti gratiâ ei circumdantur. *Cauda*, si ulla ceteroqui Salamandræ pars, multiformiter depicta est : nam præter sinuosiores flexus & plexus, jam super tergum ad caput usq, excurrit, jam per medios pedes ad umbilicum fertur, jam in mucronatam gladiorum ac telorum formam desinit, jam lata, crispa, pilata, obtusa, triquetra, rotunda, conspicitur, prout scalprum scalptoris exorbitans in hanc vel illam figuræ viam declinavit. *Pedes* deniq; silentio præterire nequeo : licet enim Salamandra iis utplurimum medio in igne insidens à Veteribus descripta sit, tamen nunc pedes bifidi, nunc trifidi, nunc quadrifidi apparent ; modò longiores, modò breviores, modò ad gressum, modò ad quietem, modò ad rapacitatem exstant compositi ; nunc introrsum incurvi, nunc extrorsum, nunc adunci & hamati, nunc ungulati, nunc alio pacto figurati cernuntur. *Scilicet famâ solùm & nomine, non ferè aliter plerisq; olim Salamandra cognita fuit.*

§. 4. Adjicerem hîc nonnulla de *licentiâ* quorundam tàm veterum quàm recentiorum Pictorum, Calatorum, Chalcoglyphorum ; & id genus hominum, falso sibi à longo jam tempore arreptâ, quâ pro arbitrio hæc vel alia rerum simulacra fingunt &

pingunt, has vel illas corporum formas ſculpunt, cælant & inci. dunt: nec omitterem hac occaſione de Chalcographorum ali. quot vaniſſimo atq; turpiſſimo ſæpè auſu verba facere, dum vix hoc vel illo de animalculo, hoc vel illo de monſtro, hoc vel illo de Oſtento, vel alia quavis de re, quidpiam ex hebdomadariis relationibus inaudiunt, ilicet viricula involant, cælteq; arripiunt, ſculpunt, ſcalpunt, circumſcalpunt, exſculpunt, inſculpunt, adq; explendos hominum curioſulorum oculos ſingula inſtitu. unt, moliuntur, apparant, concinnant, ut ita venum his expo. ſitis mercibus, deſideratum facere quæſtum poſſint. Sed enim cum probè ſciam, hæc & alia ſolius novitatis ergò hominibus ple. rumq; non diſplicere, mihi quoq;, ut placere ſaltem videantur, opera danda erit. Quid verò circa Salamandræ figuram licentio. ſus Chalcoglyptarum genius tentaverit, paſſim ex frontiſpiciis librorum typis excuſorum, ex variis Hieroglyphicis, Emblema. tibus, Symbolis, Numismatibus, aliisq; Schematibus, formis & figuris in æs inciſis, æſtimare licet: adſpiciat modo aliquis DAVID. DERODONIS *Opera Philoſophica*, T. VAN. DOMSELAER. *Beleg. en Ont. zet.* van Leyden, JOACH. CAMERARII *Symbola* & Emblemata, OT. TON. VÆNI *Emblemata*, CLAUD. PARADINI *Symbola Heroica*, *Anonymi cujusdam Emblemata Amatoria*, ANDR. MAXIMIL. FREDRO *Caſtellani Leopolienſis*, periſtromata Regum Symbolis expreſſa, aliosq; hujus notæ Scriptores, & non majorem inter Salaman. dras illas & genuinas ſimilitudinem reperiet, quàm, ut in prover. biis dici ſolet, inter bovem & aſinum; inter noctuam & corni. cem; inter ranam & gryllum.

§. 5. Non tamen in eam opinionem veniendum eſt, ac ſi nus. quam verè ac rectè ſculptum Salamandræ ectypum hac etiam noſtra ætate videri queat: quippe, ſi nullus alius Naturæ Myſta in reptili hoc accuratè delineando operam & laborem inſumſiſ. ſet, præter ſolum illum Plinium Bononienſem *Aldrovandum*, cer. tè jam luculentiſſimam atq; pleniſſimam Salamandræ habere. mus deſcriptionem: Is enim, uti omnibus veſtigiis, quæcunque rara ſe offerebant, perattentè inquirebat, ſic etiam nulli labori, nulli

nulli sumtui, nulli tempori parcebat, quod ipsum videre est ex quamplurimis ejus vastissimis editis Operibus, quæ à JOH. IMPERIALI in Museo Histor. p. 145. fusè dinumerata exstant. Atque hoc ipsum expendendo *Nobilissimus Dn. Respondens meus*, ut lectoris curiositati aliquâ saltim ex parte satisfactum esse videri posset, æri aliquot Salamandræ figuras incidi curavit, quas vel maximè ex sæpiùs jam allegato laboriosissimo *Aldrovando* mutuò acceptas, cupido contemplatori, literariâ distinctione adhibitâ, proponere voluit h. m. nempe, quæ *literâ D.* notatur, Salamandra illa terrestris, vera, nigra, maculis luteis distincta ab *Aldrovando* vocatur: quæ *lit.* E. insignitur, à JAC. GREVINO lib. 1. de Venen. cap. XXIX. p. 116. ante oculos statuitur, atq; ab ANDR. MATTHIOLO *comm. in lib. II. Dioſc. cap. 56. fol. 359.* mutuò est sumta: quæ dehinc *lit.* F. bis depicta exhibetur; una Salamandra aquatica seu potius amphibia *Aldrovandi* est, quatenus prona adspici potest; altera eadem est, quatenus supina repræsentatur: quæ sub *lit.* G. spectanda proponitur, Salamandra est aquatica prona, ex *Matthiolo* depromta: quæ per *lit.* H. adumbratur, Salamandra est *Aldrovandi* aquatilis minor, pronè depicta: quæ à *lit.* I. distinctionem capit, Salamandra est *Aldrov.* aquatica atra, semicirculis in dorso albicantibus distincta, pronèq; cælata. Hisce figuris annexum est, suffixâ *lit.* K. Salamandræ Sceleton, non tam ex *Aldrovando*; quàm ex VOLCHERO COITER *Frisio Græningensi, inclytæ Reip. Noriberg. Medico, Physico & Chirurgo*, de Quadrupedum Sceletis, cap. X. desumtum, ubi, alia inter verba, etiam leguntur ista: Ut Lacertæ sceleton sese habet, ita & crocodili, scinci, Salamandræ, & stellionis (quæ animalia lacertarum generi subscribuntur) sceleta formata atq; composita esse, opinandum est. Invenire itidem licet, additis *lit.* O. Salamandram quà pronè quà supinè sculptam, cujus figurâ me debere benevolentiæ *Hoffmannianæ* libens hîc profiteor: Is enim MAURICIUS HOFFMANNUS, nobile Universitatis Altdorffinæ in Arte Machaoniâ Decus, audito, me aliquid de Salamandra moliri, symbolam quoq; suam dare amicè voluit, dum Salamandram illam exenteratam, ante hos

30. & quòd jam excurrit, annos, in Patavinâ Italiæ Universitate, àse, utrum ovi- vel vivi-para esset, experiendi gratiâ, artificiosè sectam, mihi utendam communicavit. Postremò adhuc aliqua ad *lit.* P. stabulatur *Salamandra aquatica minor*, quæ à Basil. Besleri, Pharmaceuticæ, Chymicæ & Botanicæ cultoris perinduſtrii, philotheoriâ, in continuat. Rarior. æri ad viv. incisor. sub titul. de Animalibus, posteritati asservata est.

§. 6. Potuissent equidem, imò debuissent fortè plures, eæq; recentiores, nostrisq; passim oculis usurpatæ Salamandrarum figuræ, delineationes, & adumbrationes hîc afferri, si maximè vel curiositati plurimorum satisfacere, vel destinationi nostræ ex toto litare voluissemus; quia tamen excrescere videbamus & chartarum & impensarum numerum, atq; etiam aliunde ab Autoribus non adeò incognitis peti eas posse cogitabamus, libentissimè hoc labore supersedimus. Si ergò præter jam allatas à nobis sculpturas, plures alias quis desideraret, adire poterit Rondelet. *in lib. de Piscib.* Schott. *in Physic. Curios.* Camerar. *in emblemat.* Jonston. *in Hist. Nat.* similesq; rerum physicarum Scriptores.

Cap. VIII.

De Salamandræ Natura & Temperamento.

§. 1.

Quantum ad *Naturam* Salamandræ attinet, an hæc per ignem intacta transeat, an ignem extinguat, an in igne vivat & nutriatur? singulatim in sequentibus enucleabitur: Secundum *Matthiolum* Salamandra hoc insitum habet *à natura*, ut, cùm aspectu horribili prædita sit, intuentibus nauseam pariat, & lacteum succum, dum percutitur, effundat. Mirum sanè cuipiam videri posset, Salamandram, utut pulcherrimè coloratam, horrorem nihilominus in adspicientium oculis excitare: Sanè luteum nigro immixtum uti usitatum hodie fereq; proprium Aulæ Cæsareæ servis Symbolum est vestiarium; ita insvaves adeo colores illi non sunt, ut non mellilegis apiculis, aut aliis quibusdam animalculis gratiam concilient, nisi quis nigro, ceu tristi colori,

conf.

conf. THYLESIUS & BAYFIUS *de Re Veſtiar. cap. XI.* horribilia quæq; imputare voluerit. An ergò Reptilia omnia hominibus indiſcriminatim ſint exoſa? quod non facilè à quolibet admittetur: an propter veneni præſentis metum terror Salamandram intuentibus incutiatur? quod vero magis ſimile quibusdam videtur: an propter naturarum diſſimilitudinem ejusmodi antipathia oriatur quod haud infimi ſubſellii Autores docent: neq; mihi adeò diſplicet, ſiquidem ob diſcordiam inter ſummè venenoſam naturam Salamandrinam & Humanam magis purificatam veneniqúe exitialis expertem intercedentem, non niſi horror, terror & conſternatio reſultare poteſt.

§. 2. *An Salamandræ lacteum ſuccum, dum percutitur, effundant?* in dubio ponere in præſenti animus non eſt, ſiquidem præter propriam à me Poſonii Hungar. in Viridario famoſiſſimo ad Iſtrum ſito, vulgòq; **Kreßling** dicto, factã experientiam, conſpirans ferè omnium Autorum conſenſus me ad credendum hoc inducit. *Utrum verò toto corpore an ſaltim ore, an caudá, ſanies talis vomatur?* novam quæſtionem conſtituit: mihi certè circa os ejus aliquid ſpumei hærere, circa reliquum autem corpus inſtar guttarum oleaginarum, albidus humor emitti videbatur. EDOARD. WOTTON. *lib. VI. de Diff. animal. cap. CIX.* ejus ſanie, ait, ſalivave, quæ lactea *ore* vomitur, quacunq; parte corporis humani, vel in pede imo contacta, omnis in toto corpore defluit pilus: id quod contactum eſt, colorem in vitiligineum mutat. WOLFFGANG. FRANZIUS in Hiſt. Animal. P. I. c. 26. Saliva ipſius, ſeu ſanies lactea *ex ore* per vomitum producta, in quamcunq; partem corporis ſpargitur, facit decidere pilos. Ex adverſo MATTHIOL. *in comm. Dioſc. l. 6. c. 4. fol. 658.* quin & fructus, inquit, & herbas inficit tùm ſalivâ quadam tùm mucosâ ſpecie, quæ *è toto ejus corpore* ſudat, magno deguſtantium diſcrimine. JONSTON. in H. N. loc. ſup. cit. Lacteum ſuccum percuſſam fundere affirmat. G. SCHOTT. *in Phyſ. Curioſ.* à quâ percuſsâ dimanabat ſuccus lacteus. Hancq; ſententiam pleriq; optimi Scriptores amplectuntur. Ex *caudâ* ſolum ſudorem illum lacteum promanare, in nullo, qui hoc

 ſtatu-

ſtatueret, Autore hucusq; animadverti: Conciliationem igitur forte aliquam inter diſſentientes h. l. fieri poſſe arbitrarer, ſi nempe verberibus irritata Salamandra, dicatur toto corpore liquorem effundere; igni autem impoſita, guttulas aliquas, ceu flammas reſtinguere cupida, ex ore evomere; uti hujus rei fidem facit NICOL. STENONIUS, autoritate fultus Corvini equitis; *conf. Ephemerid. Erudit.* c. VIII. & THOM. BARTHOLINUS *in Hiſt. Anatom. Rarior. Cent. II. Hiſt. p. 260.* Singulari autem artificio, natura dictante, ignis calorem eluſit: evomuit enim guttam liquoris, quâ ignis fervorem temperabat.

§. 3. Præterea in diſceptationem etiam vocatur: *An Salamandra ſaniem vim depilandi habentem vomat?* PLINIUS defluvium pilorum à toto corpore iſti ſaniei tribuit, quem etiam plurimi Autores ſequuntur, maximè GREVINUS, *qui lib. 1. de Ven. c. 29. p. 118.* rationem inſuper addendo, ait, defluvium hoc pilorum, tàm ratione veneni, quàm olei, in quo Salamandra, quæ Dioſcoride teſte, pilos evellendi vim habet, liquefacta fuit, fieri exiſtimaverim. Dioſcoridem Græci Scriptores ipſius æmuli imitantur, quos inter conſulendus *Aëtius Tetrabib. IV. Serm. I. cap. LII. col. 641.* adde, ſi libet PLIN. l. 10. c. 67. & *Nicand. Schol. in Theriac.* Elegantiſſimè hac de re Q. SERENUS SAMONICUS in Præcept. de Medicina:

Defluit expulſus morbo latitante capillus,
Si rarò lavitur, ſeu vis epota veneni,
Seu Salamandra potens nulliſq; obnoxia flammis,
Eximium capitis tactu dejecit honorem.

ubi ROB. KEUCHENIUS in Not. ad SEREN. p. 117. *putabant* etiam (Veteres) Salamandræ contactu, defluere capillos. Τὰ δ' ἔνπεφ αὐτῆς ψιλοῖ τὰς τρίχας, *Schol. Nicandri.* Dejecit. eſt optima lectio, ſed decuſſit in libro chirographo: ut apud PETRONIUM Lycas; *quæ Salamandra ſupercilia tua excuſſit*, ubi perperam *exuſſit*, quidam ſubſtituère. JOH. RHODIUS ſup. SCRIBON. LARG. cap. LV. in emendat. & notis ad Compoſit. 187. Amicus noſter, inquit,

quit, *Joannis Argolus* poſt Chriſtophorum Richardum & Joſephum Antonium de Salas verè putat legendum: *quæ Salamandra.* Scriptoris enim negligentia *Sala* geminatum alii in *Sola* mutarunt. Hinc benè idem RHODIUS *in præfat. Scrib. Larg.* Lucri ſcilicet compendio, inquit, Scriptorum plures ab unius ore pendentes, non rarò ex pronunciatione, voces ſono affines invicem permutarunt, eaq; non ſatis accurata *quandoq; transformarunt vocales*, interdum poſtremæ ſyllabæ repetitione, aut ultimæ literæ cum ſequentis vocabuli coagmentatione, varia nominum monſtra procudêre: cujus generis librarios in cœnobio Fuldenſi olim CCC. una vixiſſe accepimus. Addo *παρέργως*, quæ MARTIAL. *Lib. II. Epigr. XLVI.* habet.

Deſine jam Lalage triſtes ornare capillos,
Tangat & inſanum nulla puella caput.
Hoc Salamandra notet, *vel ſæva novacula nudet,*
Ut digna ſpeculo fiat imago tuo.

Inde occaſionem ſumens MATTHÆ. RADERUS *Soc. Jeſ.* in Comm. ad h. l. pag. 225. ſeq. Caput, ait, dignum ſanie Salamandræ, quâ imbutum totum depiletur, aut certè ferro ad cutem radatur, ut digna tuo ſpeculo fiat imago, ut caput ſit tàm nudum ac ipſum ſpeculum eſt. &c.

§. 4. JOH. PINCIERUM *in Parerg. Otii Marpurgenſ. Philolog.* de hactenus à me allatis ambigere, uti quidem nonnullorum eſt opinio, aſſerere penitus nequeo: ſi enim ille ſtatim negare aliquid dicendus erit, qui ſe hoc ſive aliud non comperiſſe profitetur, næ multis, contra etiam propriam mentem, negationes attribuendæ forent. Is autem *loc. cit.* l. 3. c. 49. differit h. m. Saniem toto corpore exſudant tactu irritatæ; ore an vomant, *non habeo compertum*, uti neq; hoc, quod illius contactu pili defluant, cutisq; vitiligine defœdetur. Hoc ſcio, cùm fœmina opere hortenſi occupata ex poculo, in quod fortè Salamandra ceciderat, bibiſſet, toto corpore maculoſam evaſiſſe, & triduo poſt diem obiiſſe. At Lichenſis monetarii filia, cum pro anguilla Serpentem in ripâ Wederæ fluvioli prehendiſſet, acceptis aliquot vulnuſculis

ſculis mordicus inflictis, non tantùm verſicolor evaſit, ſed & delira, & corporis geſticulationibus voluminum ſerpentinorum æmula, donec expugnato antidotis veneno priſtinæ ſanitati reſtitueretur. Ἀυπάθης puellæ ejusq; cicatricum hæc retuli, & tanquam teſtis primæ notæ.

§. 5. Amplius Salamandra, naturali inſtinctu loca humecta & imbres amat, cœlo autem ſereno nuſquam apparet. Jd non invenuſtè exponit REUSNERUS in *Paradiſo Poetico* dum inquit:

Imbrifer autumnus vitales addidit auras,
Temperies fecit te Salamandra *mori.*

Verno igitur tempore & Autumno, cœlo maximè pluvio conſpiciuntur; nam æſtate, ob Solis fervorem, & hyeme, ob aëris rigorem, à ſuis latebris non egrediuntur. Quapropter agricolæ, viſa Salamandra, futuram pluviam præſagire ſolent; uti *Aldrov. de Q. D. O. l. 1, c. 8. fol. 642.* loquitur: idemq; PLINIUS l. 10. c. 67. refert: præcipuè THEOPHRASTUS, ex quo iſthæc omnia hauſta ſunt, in lib. de Signis Pluviarum ſcripſit; *καὶ Φρυνὴ λυομένη, καὶ βάτραχοι μᾶλλον ἄδοντες, σημαίνουσιν ὕδωρ, καὶ ἡ σαύρα Φαινομένη, ὡς καλοῦσι Σαλαμάνδραν*, i. e. *& rubeta, ſi aqua mergatur: & ranæ præter ſolitum vocales pluviam ſignificant: & lacerta, quæ Salamandra dicitur, ſi appareat.* Quid interea temporis Salamandræ in flexuoſis terræ cavernis faciant? vix quempiam liquidò ſtatuiſſe comperio, exceptò, quod apud BERNH. CÆSIUM, *Mutinenſem*, *Sol. Jeſ. in Minerologia lib. 1. cap. 2. ſect. 1. p. 3. col. 6.* lego, Animantium ſubterraneorum (ex Agricolæ opuſculo de animantib. ſubterraneis,) triplex eſſe genus, atq; ad alterum earum, quæ certo anni tempore abdant ſe in abſtruſos ſpecus, in quibus gravi preſſæ ſopore, aliquot inſumant menſes, revocandam eſſe, præter multas alias animantes, etiam *Salamandram.*

§. 6. Adde ſuperioribus, inveniri Scriptores, qui affirment, Salamandris *congenitam* quandam ineſſe *Audaciam* adverſus homines ſe quoquo modo perſequentes; quippe quæ non tantùm naturali aliquâ deſpicientiâ & perſeverantiâ hominem non fugiant, ſed exagitanti etiam vel inſectanti vix credibili ferocitate adver-

versentur. Quod ipsum verò apparentis audaciæ genus, non tàm viribus fretæ Salamandrinæ naturæ, quàm gressuum tarditati, unà cum *Gesnero*, adscripserim; quandoquidem cùm huic animali contentus gradus à natura negatus sit, ob eamq; caussam in fugam effundi nequeat, haud immeritò petulantius atq; audentius cuipiam videri possit. Tardus quippe, (autore Joh. Evs. Nieremberg. H. N. lib. 7. cap. 40. pag. 119. col. b.) incessus & piger est bobus, asinis, lacertis aquaticis, crocodilis, testudinum generibus, chamæleonti, Salamandræ, & omnibus, quibus brevia & compacta crura, aut genua contraria. Præter hæc, miram quoq; in Salamandrâ proprietatem observare licet: Si enim *viva gladio in duas partes secetur*, pars anterior progreditur, posterior retrocedit. Quamobrem ait *Aldrov.* sæpius jam alleg. loc. nonnulli fuerunt hujus opinionis, hanc bestiam duplici motûs principio potiri, quod in uno animali Philosophus non concedit. Cardanus igitur *lib. 9. subtil.* id ponderans, dixit, animal hujus generis debili imaginatione refertum esse, ideoq; ut effugiat dolorem, quem utraq; pars sentit, quando corpus Salamandræ præcisum est, tunc anterior pars dolore affecta penes posteriorem, progreditur, & pars posterior afflictata penes partem anteriorem, retrograditur; sicq; duo motûs principia esse videntur. Ego quantumvis ipse Sectionis talis experimentum nunquam sumserim, putarem tamen, salvo aliorum judicio, diversitatem hujus motûs irato sanguini assignandam esse, qui magis circa præcordia ebulliens, metuq; amissionis ad caput decurrens, pedes anteriores ad antrorsum progrediendum naturaliter dispositos impellat; pedes verò posteriores, sanguine vi plagæ impactæ ad extremitatem caudæ relabente, etiam ad retrò ferendos gressus trahat.

§. 7. Instinctu quodam naturali, Salamandram *testudines*, *ranas & apes odio prosequi*, & frequenter cum illis acerrimè dimicare, *Aldrovandus* l. c. autor est: quod ipsum quidem etiam *Jonstonus* in H. N. asserit, sed *apes* omittens, eas victui Salamandrarum annumerat, utpote quas unà cum favis mirè appetant; neq; vox *frequenter* inserta est, quod pugnas illas fortè rariores existi-

mave-

maverit. Non verò in præsentiarum lubet, Autoribus his, aliisq; sequacibus, eapropter liticulam intendere, sed, cùm ipsemet hoc nondum exploraverim, unumquemvis judicio suo, dubio procul à diversâ experientiâ nato, abundare permitto. Utut me non lateat, nonnulla animalia non nisi prædando & præliando sibi victum acquirere, adeoq; hæc duo secum optimè componi posse, Salamandras cum apibus dimicare, & Salamandras ex apibus sibi victum comparare. De apium tamen conflictu cum adversariâ Salamandrâ scrupulum injicit sudor Salamandrinus ex quacunq; parte corporis effusus, qui utiq; apiculis involantibus, & aculeum infigendi avidis, aut quocunq; modo militantibus, maximè letalis foret, viresq;, hoc pacto, præliandi omnes illis adimeret. De cetero nondum satis exploratum est, *an Salamandræ vocem aliquam emittant?* quamvis CARDANUS *de rer. variet. lib. 7. c. 33.* in Cumanâ, Salamandras palmi longitudine, & *gracillantes* tanquam gallinas versari tradiderit; & J. H. URSINUS *in Acerr. Philolog. lib. 2. hist. 12. p. 88.* scripserit; Salamandram, *ajunt*, cœlo nubilo & frigido *canere.*

§. 8. Ratione *Temperamenti* THEOPHRASTUS Salamandram frigidam statuit; & *Scholiast. Græcus ad Nicand. Θηριακ. fol. 54. edit. Colonienf. Ann. 1530.* naturâ frigidum existens animal pronunciat: qui etiam ad *Alexipharm. pag. 98.* Salamandra est animal, inquit, natura frigidum. B. KECKERM. in Syst. Systemat. Disp. 4. pag. 431. corollar. n. 8. præhumidæ & frigidæ naturæ Salamandram esse, scribit. LANGIUS *lib. 1. ep. medic. 66.* frigidum sanguinem Salamandræ attribuit. GEORG. AGRICOLA *Tract. de subterran. Animal.* testatur, tanta esse frigiditate Salamandram, ut tanquam glaciesigni exposita eam extinguat. PLINIUS etiam de illâ differens *lib. 10. cap. 67.* huic, ait, tantus rigor, ut ignem tactu extinguat, non alio modo quàm glacies. Quod NIEREMB. *in H. N. lib. 7. cap. 41. pag. 120. col. a.* calculo suo pariter probat, dum scriptum reliquit; *frigido & humido temperamento sunt, ursus, Salamandra:* additq; dictâ in paginâ, *col. a. Frigoris præ cæteris patientes ursi, vaccæ, Salamandræ, ibices.* Quomodo autem isthæc

cum

cum paſſim recepta Autorum ſententia conciliari queant, nondum didici: Si enim ob aëris rigorem Salamandræ in abſtruſa terræ cava toto hieme ſe abſcondunt, quâ quæſo ratione ſævitiem frigoris eas perferre credam. Deniq; non tàm frigidam, quàm ψυχροτάτην τὴν Φύσιν h. e. *frigidiſſimam naturam* Salamandris imputat SUIDAS in σαλαμάνδρα; quod verò non ita interpretandum eſt, ac ſi in partibus interioribus & exterioribus univerſum Salamandræ corpuſculum frigore rigeſcat, ſiquidem in viſceribus & venis Salamandræ ſuum calorem nativum habent, & fortè, per ἀντιπερίστασιν, efficaciorem, cùm partes extimæ frigidiſſimæ eſſe perhibeantur.

§. 9. Ceterùm *an ignea ſit Salamandra?* NIEREMBERGIUS *in H. N. lib. 4. cap. 19. pag. 62. col. b.* diſquirit: ſcio, inter alia inquiendo, D. *Thomam* ignei putaſſe ingenii, nutriri in igne, ex ſucco terreo aduſto, fumoſo, propter convenientem ſimilitudinem ad complexionem ſuam: Famam fortaſſe ſecutus eſt confundentem pyrauſtam cum Salamandrâ. Ita PHILES, Poëta Græcus, quod illius eſt, huic dedit, dum cecinit.

Quid Salamandram, aërne tellusve educat?
In oſſibus namq; eſt caruncula tenuis,
Cum pellis alarumq; parvo tegmine.
Sed tu, Imperator, hanc videns miraberis
Quod non tremiſcat devorantis omnia
Ignis furorem, quem involans atrociter
Elidit, ac fornacis æſtus enecat;
Fabriſq; denſam ſuſcitat fuliginem
Ingreſſa fornacem dolosè fervidam,
Rogumq; vivit inter & flammæ ſonos,
Spiratq; fumi diſſipata acredine,
Surſum favillæ provoluto vortice.

Sed, ut benè advertit NIEREMBERG. *cit. loc.* non hæc Salamandra eſt, quæ dicitur lacertæ eſſe ſimilis, tardè ingredi, nec pennis alleviari. Ultimò igitur placent mihi, quæ J. SPERLING. *in Zoolog. cap. 30. Axiom. 1. p. 295.* ſcripta reliquit: Salamandra igneæ *dicitur* naturæ,

curæ, adeò ut vivere atq; supereſſe queat in flamma. Sed penetrat natura ignis, viventium corpora diſſipat ac deſtruit. *conf. de natura Salamandræ* C. RHODIGIN. *Antiqq. LL. p. 520. b.*

CAP. IX.

De Salamandræ vitâ in igne.

§. 1.

CRedidiſſe videri poſſunt nonnulli Veteres, flammis in corpora quædam nullum planè jus datum eſſe, ſed ſi fortè huic vel alteri ex adveniente quadam pernicie corpus perire debuiſſet, illud mox inviſibili aliquâ partium repoſitione, ineffabiliter inſtaurari: quod ſine dubio Poëtica fabuloſitas expendendo, TITYUM, Jovis ex Elarâ Orchomeni filiâ filium, jecur perpetuò cum Luna renaſcens, vulturi, aut ut HYGINO placet, ſerpenti, exedendum præbere confinxit. Vid. *Homer. Odyſſ. Λ. Virgil. Æn. 6. Ovid. Met. 4. & Pont. 1. 2. & Ibin. Q. Calaber. lib. 3. Seneca in Thyeſt. Tibull. l. 1. el. 3. Claudian. in Gigantom. Horat. carm. lib. 3. Statius Theb. 1.* quamvis *Strabo lib. 9.* hanc fabulam ad hiſtoriam transtulerit, & *Lucretius lib. 3.* ad rei venereæ cupiditatem, animiq; ſollicitudines eandem retorſerit; qui propterea conſuli queunt.

§. 2. Quærere igitur hîc non inconveniens fuerit: *Utrum Naturæ conſonum ſit, uri citra perniciem corpus aliquod?* confirmare quæſitum videtur admirabilis *inanimatorum quorundam in igne perſeverantia*: Et quidem (1.) de Adamante circumfertur, flammas eum penetrare non poſſe, ob ſubtiliſſimos poros ex nimia ſoliditate ortos, quod LAUR. LIPPIUS in Diſtich. ad Laur. Medicen. ita expreſſit:

Non Adamas flammis, nec durâ incude domatur:
Laurenti *hircino ſanguine conteritur.*

atq; ut de hac pretioſiſſimâ gemmâ plura mira haberentur, relatum olim etiam eſt; Adamantes progenerari in monte Ahingar, ultra urbem Biſinigar, itinere dierum quindecim: circundari montem paludibus venenoſarum beſtiarum (Salamandrarum &c.) plenisſimis; montem ipſum non minùs ſerpentibus differtum:

tum: in eum montem accolas ex editiore loco ſagittis carnes jaculari, quibus carnibus hæreant Adamantes. Carnes illas ab aquilis, ſublatas in nidos, devorari; ſub quibus delapſos adamantes inveniri. conf. J. C. SCALIG. Subtil. exerc. 113. ſect. 3. & M. PAUL. VENET. III. 29. (2.) De Asbeſtino notum eſt, ex eo telam contextam fuiſſe & tunicas, quæ igni non tantùm non abſumebantur, ſed in illum conjectæ, ſordibus exuſtis ſplendeſcebant magis, quàm poſſent aquis: Regum quoq; funera in ejusmodi aduſta tunicis, ne corporis favilla cum reliquo cinere miſceretur vid. G. PANCIROLL. *de reb. deperd. tit. 4. part. 1. p. 16.* PLIN. *lib. 19. c. 1.* SALMUTH. *in not. Panciroll. l. c.* SOLIN. *cap. 17.* SCHOTT. *P. 4. Magiæ lib. 2. Syntagm. 2. cap. 1. §. 10.* (3.) De Auro evolvere licebit JOH. MICRÆL. Lex. Philoſoph. ubi Aurum eſt metallorum nobiliſſimum, *nullo igni combuſtibile*, quia terram illius puram humor purustuetur, ne accendatur. Sed enim præter Moſaicam vituli aurei combuſtionem Exod. XXXII. 20. conferri meretur JONST. *in Admirandis Auri*, quo teſte, FRANCISC. ANTONIUS, Londinenſ. *Medicus*, Aurum *in formam mellis* redegit, & ut probaretur, certas ad præcipuos Germaniæ Medicos doſes miſit. Scilicet multa ex auro crudo, plura verò ex eo chymicè atq; artificiosè præparato, hodiè potiſſimum elici queunt. (4.) De Pyrimacho lapide memoratur, eum ab igne immunem eſſe, adeò ut ne calefiat quidem; vid. SCHOTT. *Phyſ. Curioſ.* l. 7. c. 8. p. 704. (5.) De foſſili Ebeno ſcribitur, illud, licèt omninò adſpectu ſimile ſit Gagatæ lapidi, naturâ tamen eſſe admodum diversâ, quod *ebenum ignem non ſentiat*, gagates contra ardeat, & igni pereat. *vid.* J. H. URSIN. *Arboret. Bibl. cap. 43.* G. AGRICOLA *lib. 7. Foſſil. pag. 325.* (6.) De quodam Ligni genere Javenſi AUG. TORNIELLUS *in annal. mund. die. 6. num. 2.* ait; vidiſſe ſe ligni genus ſatis leve, & aſpectu valde combuſtibile, quod ex *Januæ* (rectius *Javæ*) montibus delatum ajebant, cujus modica ſanè portio cultello ſecta, & in referto carbonum ardentium foco injecta, ibidem, me præſente, aliisq;

aliisq; multis inspectantibus, diu relicta, non modò non absumi, sed neq; accendi vel minimùm lædi unquam potuit; nam forcipe mox inde detracta, omninò ut prius integra visebatur. Atq; ista de rebus nonnullis non viventibus, quibus ignis parcere creditur, dicta in præsenti sufficiant.

§. 3. Jam de *Animantium* quoq; immunitate ab igne dicendum est, quæ magis faciunt ad institutum. Non verò hîc nulla prorsus occurrunt exempla; Siquidem (1.) **Pyraustæ** se offerunt, de quibus ARIST. lib. 5. H. A. cap. 19. ait: *In Cypro Insulâ, ærariis fornacibus, ubi chalcites lapis ingestus compluribus diebus crematur, bestiolæ in medio igne nascuntur pennatæ, paulò musciis grandibus majores; quæ per ignem saliant, atq; ambulent. Emoritur & hoc genus, & illud nivis alumnum* (de quo paulò antè) *cùm alterum ab igne, alterum à nive dimotum est.* Subscripsit PLINIUS *l. 11. N. H cap. 36.* qui ea, quæ de Pyrali sive pyraustâ annotavit, ex Aristotele excripsit. ÆLIANUS equidem *lib. 12. de Animal. c. 8.* pyraustarum quoq; meminit, sed diversas eas à jam descriptis esse, vel inde patet, quòd ad lucernas advolare, atq; lapsæ comburi dicuntur. Sed in dubium Pyraustas vocat MATTHIOL. *comm. in lib. 2. Dioscor. cap. 56.* autoritate nixus tùm Galeni, tùm propriæ experientiæ in Germania circa æraarias complures fornaces factæ. (2.) **Carystiæ aves,** quas SOLINUS *in Polyhist. cap. 11.* scribit impunè involare flammas: quem locum citans ALBERTUS *lib. 23. de Animalib.* ait; *Carystiæ sunt aves, ut dicit Solinus & Jorah, quæ innocuè flammis involant, ita quòd nec pennis, nec corpore aduruntur. Sed illi Philosophi multùm mentiuntur; & puto quòd sit unum de mendaciis eorum.* (3.) **Nonnullorum genus vermium:** hoc enim in aquarum calidarum scaturigine reperiri, quarum fervorem nemo impunè contrectet; illos autem non solùm sine ullâ sui læsione ibi esse, sed extra esse non posse, AUGUSTIN. *de C. D. lib. 21. cap. 2.* asseruit. (4.) πυρρίβια, de his DIOG. LAERTIUS in vitâ Pyrrhonis Heliensis testatus est; animalium aliqua absq; coitu gigni, & ex horum numero esse qvæ in igne vivunt, & πυρρίβια vocantur.

cantus. (5) Pyrigoni volucres bestiolæ: Scribente quippe ÆLIANO *lib. 2. de Animal. cap. 2. terrâ mariq; nasci animalia, nihil mirum: nam materia, & nutrimentum, & natura, horum caussa est. Ex igne verò generatas bestias volucres existere, nuncupatos pyrigonos, & in eo ipso igne vivere & ali, hucq; & illuc volare, hoc admirabilitatem facit.* &c. at verò Pyrigonos istos cum supra dictis Pyraustis Aristotelicis convenire quis non videt?

§. 4. Quæ adhuc plurima hoc argumentum illustrantia proferre voluissem, omittere hîc, ob chartæ angustiam, temporis penuriam, & res aliàs intercidentes, debeo. Non igitur, an ignis animalia generet? disquiram: non etiam, an aliqua grandior bestia ignem toleret? proponam: neq; scisscitabor; an aliqua animalia igne vescantur? neq; investigabo; an narrationi vulgari de Salamandræ vitâ in igne patrocinari queant ζῶα πυρίγονα sive animalia quæ in igne vivant, inde verò exemta moriantur? (quæ præ aliis enumerat PHILO *lib. de Noha, deq; Gigantibus*, & MACAR. *Homil. 14.*) neq; scrutabor; an Cor Germanici Cæsaris cremari non potuerit? neq; in disquisitionem vocabo; Casuarium avem: infantem Judæi cujusdam in clibano ardente non combustum: Arndianum libellum precatorium incorruptum ex fornace ignitâ in pago Hassiaco **Langengöns** exemtum: Probationes Antiquorum ex ferro & carbonibus candentibus, aquisq; ebullientibus institutas: Oleam in igne florentem &c. Tacebo crines B. Mariæ Virginis; Ossa Polycarpi, & sexcenta alia, quæ Papistæ non comburi posse ambitiosè jactant. Hoc saltim adhuc ex THEOPHRAST. *Meteorolog. cap. 4.* adducere liceat; Deum præter Homines, Adami posteros, alia quatuor hominum genera, carne ac ossibus rationeq; prædita creasse, eosq; in singulis elementis ad inhabitandum collocasse: consonant, quæ apud *eund. de Pestil. tract. 2. cap. 1. fol. 348. lit. b.* habentur; **Dieweil die Welt/der *Parens Hominis*, in ihr hat solche vier Elementische Geister/da der eine Theil und Geschlecht wohnet im Wasser: das ander Geschlecht wohnet im Feur/als die *Penates*, *Salamandræ*: der dritt im Lufft/als die *Sylvestres*: der vierdt in der Erden/als *Gnomi*, *Lemures*, *Pygmæi*,**

Schrö-

Schröflein und dergleichen: ꝛc. quibus, breviter ex BOHUSL. ALOYS. BALBIN. S. J. *Exam. Meliſſ. lib. 5.* oppono ſeqq.

Aëris *in campis* volucres *ſpatiantur Alaudæ;*
Gens ſquamoſa *fero ludit in* Oceano;
Quadrupedes, bipedesq́; *ſuos benè provida Mater*
Terra *fovet; ſolo vivit in* Igne nihil.
Ergò perpetuò Peccans *damnabitur Igni,*
Et vivos etiam Flamma *perennis* alet.

§ 5. Hiſce præmiſſis, ad cardinem totius hujus diſcurſus devenio, qui in eo potiſſimùm verſatur; *utrum Salamandra, hactenus deſcriptum animal, ſemper in igne vivat?* referam prius quid alii ſentiant; deinde, quid ego. Affirmare igitur videntur quæſitum (1.) ARISTOT. *lib. 5. hiſt. animal. cap. 19.* (2.) PLINIUS *lib. 10. H. N. cap. 67.* (3.) PHILES, *Poëta Græcus.* (4.) AUGUSTIN. *de C. D. lib. 21. cap. 4.* (5.) OLYMPIODORUS *in comment. lib. 4. Meteor.* (6.) NICANDER. *in Alexiph. p. 98. & in Theriac. p. 54.* (7.) SCHOLIAST. *Nicand. ad Alexipharm. pag. 98. & ad Θηριακ. pag. 54.* (8.) ZOROASTER *in Geoponicis.* (9.) C. RHODIG. *LL. Antiqq. lib. 6. c. 10.* (10.) NAZIANZEN. *in vita Baſil. M. & parænesi ad Virg.* (11.) ÆLIAN. *l. 2, Hiſt. Animal. cap. 31.* (12.) ALBERTUS M. (13.) ANDREAS *Medicus, Βιβλιαίγιος* dictus. (14.) ISIDOR. *Origg. lib. 12. cap. 4.* (15.) Q. SERENUS *Sammonicus in Præcept. de Medicinâ, edit. Keuchen pag. 4.* (16.) J. C. SCALIG. *exerc. 74. diſt. 3.* (17.) SUIDAS *in σαλαμάνδρα,* (18.) PHILIP. THEOPHRASTUS *Part. 1. tract. 2. de Peſtilit. cap. 1. fol. 348.* (19.) JOACH. CAMERAR. *cent. 4. emblem. 69. pag. 138.* (20.) LEV. LEMNIUS *de occult. Nat. M. l. 2. c. 12.* (21.) YNGELHUSIUS *in Vocabular. rs.* (22.) JAC. MASENIUS *in Spec. Imag. lib. 6. cap. 64. pag. 743.* (23.) CARDANUS *lib. 9. Subtil.* & quamplurimi alii, præſertim vetuſtiores Autores, qui mihi hæc ipſa feſtinanter ſcribenti non omnes in mentem venerunt. Negantes *ſemper vivere Salamandram in igne*, ſunt (1.) GALENUS *in Simpl. & lib. 3. de temper.* (2.) DIOSCORID. *lib. 2. cap. 46. fol. 197.* (3.) PET. ANDR. MATTHIOLUS *comment.*

in

in lib. 2. Dioſc. cap. 56. (4.) G. AGRICOLA *tract. de ſubterr. animal.* (5.) M. MARTINIUS *in Lex. Philolog.* (6.) WOLFFG. FRANZIUS *in H. A. Part. I. cap. 26.* (7.) MART. SCHOOCK. *in fab. Hamel. part. 2. cap. 19.* (8.) EDOARD. WOTTONUS *de Different. Animal. lib. 6. cap. 109.* (9.) GESNERUS *in Hiſtor. animal., qui ad ſuffragium quoq; vocat* ANTON. MUSAM. (10.) JOH. PINCIERUS *in parerg. Otii Marpurgenſ. Philolog. lib. 3. cap. 49.* (11.) THEOPHRASTUS *lib. de igne.* (12.) FRANCISC. RABELESIUS, *medicus.* (13.) MATTHÆ. RADERUS *in comm. Martial. l. 2. epigr. 46.* (14.) HERM. Grube *de transplant. morbor. in præfat.* (15.) SACHSIUS *in gammarolog.* (16.) NICOL. STENONIUS *in literis Româ ad Doct. Croonen perſcriptis.* (17.) THOM. BARTHOLIN. *in Hiſt. Anatom. Rarior. Cent. II. hiſt. L.* (18.) ALDROVAND. de Q. D. O. *lib. 1. c. 8.* (19.) G. HORN. *Hiſt. Nat. lib. 1. p. 21.* (20.) BRODÆUS, *3. Miſc. 3.* (21.) AUG. NIPHUS *citante Chiocco, in Muſeo Calceol.* (22) ANDR. CHIOCCUS *in Muſeo Fr. Calceolar.* (23.) BERNH. CÆSIUS *in Mineralog. lib. 3. cap. 14. pag. 504. num. 10.* (24.) B. KECKERMANN. *in Syſtemate Syſtem. diſp. 4. pag. 431. coroll. num. 8. col. b.* (25.) FRID. HOFFMANN. *in clav. Pharmacevt. Schröder. l. 5. ſect. 4. §. 83.* (26.) SAM. HAFENREFFERUS *in noſodoch. lib. 3. pag. 439.* (27.) J. SPERLING. *in Zoolog. cap. 30. p. 295.* (28.) AETIUS *tetrab. 4. ſerm. 1. cap. 52.* (29) NIERENBERG. *in H. N. l. 4. c. 19. p. 62.* (30.) JAC. GREVIN. *l. 1. de venen. c. 29.* (31.) JOH. JAC. Merckleín in der Oſt-Indianiſch. Reißbeſchreib. p. 370. atq; innumeri alii Scriptores, maximè recentiores, quos, papyro parcens, temporiq; ſerviens, longiori ſerie adducere nolui.

§. 6. Si jam Veterum & Recentiorum opiniones contendam, quibus eos circa *Salamandræ vitam in igne* duci paulò ante oſtendi, videtur, errorem quidem vulgi potiſſimum iſthinc promanaſſe, quod, Salamandram conſpiciendo ad certum temporis ſpatium, ab igne non adeò vehementi nihil pati, uri tamen, ſi longius admoveatur, putarit, *ab igne planè non conſumi.* Hoc, ex judicio quaſi vulgi, *Ariſtoteles in H. A.* refereus, prudenter adhibuit formulam hanc; ὡς φασι, *ut ajunt:* ceu ex his appoſitis verbis *Philoſophi* l. 5. *de* H. A. c. 19. *lit.* c. *edit. Caſaub.* apparet. ὅτι δ' ἐνδε-

δ' ἐνδέχεται μὴ καίεσθ συσσίσεις πινῶν ζώων, ἡ σαλαμάνδρα πιεῖ φανερόν. αὕτη γὰρ, ὡς Φασι, διὰ πυρὸς βαδίζουσα, κατασβέννυσι τὸ πῦρ. i.e. *Theod. Gazâ* interprete: *Nonnulla corpora esse animalium, quæ igne non absumantur, Salamandra claro documento est: quæ*, ut ajunt, *ignem, inambulans per eum, extinguit.* Sed enim isthæc, non tàm fide populari, quam Aristotelica relata fuisse, plurimi Autores Græci, postea quoq; Romani quidam crediderunt, hinc Salamandra ceu flammarum triumphatrix passim decantata est, speciatim ab *Æliano*, *Nazianzeno*, *Nicandro*, *Plinio*, & aliis. Nimirum *omne penè mendacium originem suam alicui Veritati debet*: Si ergo prædicti Scriptores unà cum assectis suis verba ipsa Aristotelis melius ponderassent, in errorem istum circa Salamandræ vitam in igne dubio procul non incidissent: Quæ namq; Historici, *ajente* M. SCHOOCKIO *in F. H. part. 2. c. 19.* sive de rebus mirabilibus, sive de vulgaribus, referunt fide magis populari, quàm sua, eo ipso suspecta haberi debent, nec temerè, quisquis sapit, eadem ut vera amplectetur. Notum apud Græcos (unus Plutarchus testis esse potest) receptum esse verbum Φασί, cui respondet Latinorum, ajunt, ferunt, &c. quod quotiescunq; narrationi alicui immiscetur, suspectare eandem convenit. Propterea argumentari aliquis ex hac regula posset h. m. Cuicunq; narrationi appositæ notæ, *Ajunt, fama est, fando & ore vulgi saltem accepimus*; ea uti commemorari potest, ita pro certâ & fideli sive approbata nec accipi potest, nec debet. Atqui talis est narratio Aristotelis de Salamandra. E. *vid.* C. A. RUPERT. *Observ. in Synops. Besold. Min. cap. 18. pag. 670. seq.* quem librum brevi, curâ famigeratissimi Viri, Dn. C. ARNOLDI, iteratò lucem adspecturum omnes Boni lætantur. Hujus proinde Regulæ neglectum decepisse circa Salamandram plerosq, ex Antiquis, ignotum amplius esse haud potest: si ergò MATTHIOLUS eam diligentius observasset, næ *in Comm. lib. 2. Dioſc. cap. 56.* nunquam passus esset sibi excidere verba seqq. *Explicare nescio, quo argumento, quave ratione prodiderit* Aristot. l. 5. c. 19. de H. A. *Salamandram igne minimè combu-*

comburi, sed per illum inambulans, flammas & prunas extinguere; cum contrarium experientia facilè comprobari possit.

§. 7. Plures nihilominus ex supra allegatis à me affirmantibus Autoribus *quoad Speciem* duntaxat Salamandræ vitam in igne tribuere, quàm *re ipsa* deprehendi; plures *secundum quid*, quàm *simpliciter* hoc asserere, inveni. Quâ etiam distinctione non probè pensiculatâ, multi erroris hujus accusati sunt, qui accusari minimè debuissent. Scilicet, aliud est, dicere: Salamandram perexiguo tempore moram in igne trahere; & aliud, eam in igne perpetuo vivere: aliud est, Salamandram in igne non adeò vehementi aliquantisper subsistere; & aliud, eam in igne flammantissimo pervigere: aliud est, prunis injectam Salamandram, humore quodam affuso, per unam vel alteram horulam durare, posteaq; concremari; & aliud, eam lætantem in mediis flammis saltare: aliud est, Salamandram ad certum usq; terminum nihil ab igne pati; & aliud, eam igne victitare, ut chamæleon aëre: aliud est, Salamandram per ignem intactam transire; & aliud, eam in igne non interire: aliud est, Salamandram prunas nonnullas mucore suo extinguere; & aliud, eam adversus flammam tanq. in hostem ruere: aliud deniq; est, Salamandram in igne culinari ad tempus se servare; & aliud, eam ad ignem usq; elementarem orbi lunari finitimum adscendere. Certum est, omnes ferè (perpaucis quibusdam exceptis, qui Aristotelis mentem non satis perspexerunt,) priora distinctionum allatarum membra; neutiquam verò posteriora amplecti, eamq; ob caussam ego pariter superiùs *in §. 2. hujus cap.* voculam *videntur τῷ* affirmare annexui. Haud igitur falsum fuerit, Salamandram per aliquot horarum spatium flammis reluctari, sed tractu temporis tandem comburi: mediam quippe institere viam recentiores, rati, ignem omnino posse & sustinere & extinguere Salamandram; sed si & protrahatur diutius, & vehementior flamma sit, non interire solùm, sed & funditus consumi. vid. H. **Grube** *de transplant. morb. in præf.* Ratio ab *Aldrov.* l. c. redditur, quia corpus frigidum & humidum habeat, magisq; humectet quàm limaces: Sed enim quis nescit?

neſcit? ignem non tàm frigore victum cedere, quàm perire ſuffocatum, atq; ſic oleum fervens, prunam candentem extinguere, conf. HELMONT. *in ort. & progr. Med. fol. 196. n. 27.* à GREVINO *l. 1. de Venen. c. 20.* cauſſa immunitati ejusdem cutis adſcribitur, quæ cum limus ſit arctè inſinuatus cuti, longiſſimè in igne (modico) abſq; læſione perdurare queat. Ego dicerem, à cute Salamandræ talem humorem dimanare, qualis mucus à naribus effluere ſolet, hocq; abſumto, guttulas inſuper aliquas expuere, quibus omnibus ex præſentiſſimo interitu erigere ſe laboret. Neq; hoc cuipiam mirum videri debet, *Aldrov. l. c.* ait, quoniam *Valerianus* Romæ novit quendam Teutonicum ſpeculorum fabrum, qui per flammarum globos, citra unius capilli detrimentum, gradi profitebatur. Vidimus quandoq; Bononiæ circulatores, qui ex patella candenti liquefactum plumbum, non ſecus ac ſi eſſet argentum vivum, vel aqua tepida, volâ manus impune excipiebat. Ratio eſt, quia unguento quodam partes linibant, quas ab igne incolumes ſervare volebant. Idcircò narrat *Varro*, Hirpinos populos ſolitos quodam medicamine plantas pedum munire, atq; ſuper prunas impunè ambulare. Quibus tamen & ſimilibus in exemplis probe putarem diſtinguendum eſſe, *inter diabolicas incantationes, dæmoniacas illuſiones, præſtigioſas deceptiones; & inter veram, ſeriam, infucatamq; prunarum inambulationem, flammarum tolerationem, igniumq; extinctionem:* uti namq; apud VIRGIL. legitur, Theſſalas mulieres creditas incantamentis lunam in terram detrahere; *Carmina vel cœlo poſſunt deducere Lunam.* Ita in Igne inverſam elementi naturam; *Sub monte Soracte* (inquit *Strabo, l. 5.*) *urbs eſt Feronia: quo nomine, & Dea quædam nuncupatur, quam finitimi miro dignantur honore. Eodem in loco ipſius templum eſt, mirificum ſacri genus habens. Nam qui ejus numine afflantur, nudis pedibus prunas calcant. Eò ingens mortalium multitudo convenit, & celebritatis ipſius, quæ quotannis celebratur, gratiâ pariter, & ſpectaculi.* Plura de purgatione ex ferro candenti vide ſis apud JOH. PALATIUM. J. U. D. *in Aquilâ Saxonicâ, cap. 4. pag. 237. ſeqq.*

§. 8. Ad

§. 8. Ad Experimenta quod attinet de Salamandræ vitâ in igne ſumta, nonnulla eorum producam, ut iis debito modo expenſis, eò certiùs hac de re ſtatuere aliquis & judicare queat. *Quinq;* autem tantùm memorare libet, reliqua occaſioni alteri reſervans: I. MATTHIOL. *comm. in l. 2. Dioſc. cap. 56.* ait; *Salamandra quidem pruniſ ſuperpoſita, (ignem extinguit) non ſecus atq; cetera animalium carnes, quæ pruniſ aſſandæ traduntur. Veruntamen in medium magni ignis, ubi flamma valentius agit, vel in fornacem projecta, ſtatim comburitur. Vanum eſt ergò credere* (ut etiam Dioſcorides inquit) *igne eam minimè abſumi poſſe, eoq; victitare, ut Chamæleon aëre: quandoquidem facto periculo, igne exuſtam brevi Salamandram vidimus.* II. THOM. BARTHOLIN. *in Hiſt. Anat. Rarior. Cent. II. Hiſt. L. refert, iſta:* Salamandram vivam Romæ alebat Franciſc. Corvinus, amicus meus, nigro colore, maculis flavis, ſtellionis inſtar, diſtinctam, quæ moram duarum horarum in igne perferebat, ſed non ita vehemente. Singulari autem artificio, natura dictante, ignis calorem eluſit. Evomuit enim guttam liquoris, quâ ignis fervorem temperabat. Aliàs veluti canis ad Nilum, fugiendo ignis flammam, humido corpore tranſeunt. Novem hîc menſibus in vitro ſine cibo vixit, terrâ tamen cum quâ advenerat, alimenti loco utebatur. Ex hac humidum omne exſugebat, quâ exſiccatâ, ſequenti hebdomade eundem liquorem rejecit, iteratiſq; vicibus & ſuxit & evomuit. Demum in aliam terram cœli noſtri impoſita, citò mortua eſt. III. NICOL. STENON. (cujus familiaritate A. 1670. Poſonii in Hungariâ utebar,) idem illud experimentum Româ ad Doctorem *Croonen* aſſertum ſibi eſſe perſcripſit à *Corvino equite*, Salamandrum ex India ſibi apportatum in ignem ſe conjeciſſe, qui verò illicò inflatus maximam materiæ copiam ſalivæ ſimilem evomuit, quâ vicinos carbones, in quos ſe recepit, extinxit; quos accenſos denuo eadem ratione extinguere repetiit. Poſtquam ita vel 2. horar. ſpatio ab ignis violentia ſe ſervarat Salamander, Eques ipſum extraxit iterum, cum diutius eum in periculo verſari nollet, à quo etiam tempore IX. menſes vixit. *vid. Ephemerid. Erud. c. 8. Sachs in Gammarolog. Herm.*

Grube *de transpl. morbor. Frid. Hoffmann in clav. Pharmacevt. Schröd. l. 5. sect. 4. §. 83.* IV. Jac. Grevin. *lib. 1. de Venen. cap. 29.* Limus, ait, aliquis sese in cutem (Salamandræ) insinuat, ut longissimo tempore in igne illæsa consistere possit, antequam ab eo absumatur. Nam si longiore spatio sit admota, exuritur, quod experientia sæpenumero est animadversum, cum explorare quidam vellent, num Aristotelis sententia vera esset. V. Joh. Jac. Mercklein *in Diar. Indiæ Orient. pag. 370.* Etliche schreiben/ der Salamander lebe im Feuer / welches wir aber nicht befinden können; dann wir derer etliche in ein groses Feuer / so wir dabey hatten / geworffen / und befunden / daß sie zwar / so weit sie das Feuer berührten / dasselbe gelescher/ jedoch sie noch von den umligenden Kohlen/ wiewol langsam/ verbrunnen.

§. 9. Atq; hæc horaria, vel interdum longiori paulisper tempore, in igne leviore duratio, effecit, ut *Pellis* quoq; Salamandrina, *Lana*, *Sanguis*, *Villi*, *Cineres*, *Nomenq;* Salamandræ chartæ inscriptum, vires incendia pellendi pariter & exstinguendi habere vulgò crederetur. Nam in libro, cui titul. *Cor Philosophiæ*, jussu *Philippi Pulchri* Galliæ Regis èlatina lingua in Gallicam translato ante annos circiter CCCL. narrantur Salamandræ ex *igne elementari* in quo generantur & vivunt, *in Indiam & Æthiopiam* quandoq; decidere, et ex earum pellibus Regi vestes confici, quæ illum in bello ab hostili igne sartum & tectum præstent. vid. *Bochart. Hierozoic.* l. 6. col. 823. Lanam Salamandræ, quæ supra p. 22. & seqq. exposita est, eadem vi pollere Vincentius, *Doctrinali lib. 16. cap. 111.* scribit, *h. m.* Salamandra profert lanam quandam pallidam, de quâ contextæ Zonæ comburi non possunt. *Idem:* Alexander Papa, *ut fertur*, ex hujus animalis lana vestimentum habuit, quod cum ad munditiem aliquando lavari deberet, non aquis abluebatur, sed per ignem candescebat. Sanguine Salamandræ manus oblinitas ab igne lædi non posse refert *Aldrov.* de Q. D. O. l. 1. c. 8. pag. 642. Nicandrum tradere; sed cùm fortè Nicandrum hac de causa evolverem, inveni,

Nican-

Nicandrum hoc non tradere, quapropter *Scholiasten* consulens, verba hæc apud illum reperi; *Andreas verò* (Medicus) *ait, si quis sanguine ejus* (Salamandræ) *aut manum aut vestem ungat, innoxius erit abigne.* Nempe alienis oculis fidentes persæpè decipimur. Villos Salamandra non habet, ut supra ostendi, nisi fortè cutis hujus animalis soluta, & ita depexa fuerit, ut in villos abierit: ex his partim pannos confici, partim chordas fieri, fama est; atque ex illis quidem vestimenta dicuntur consui, quæ igne non absumantur; harum verò usum in glabrandis & depilandis nobilium aut earum fœminarum, quæ quæstum ex corpore facere solent, vultibus unice consistere. Cineres quod attinet, ex iis unguenta parata, hominumq; corporibus illita, ignem arcere creduntur; imò aliis impuris animalculorum cineribus commixti, additis vivis araneis, scorpionibus & vermiculis, unà cum semine quodam *Ololuchqui*, atq; probè istis omnibus contusis, unguentum fiebat, quo *Mexicani* adversus omnes morbos, tanq. divinâ medicinâ utebantur. *conf.* G. Horn. *Arc. Noæ in Hist. Occid. f. 23. 24. p. 486.* Nomen *Salamanadræ*, vel potius *Salamandræ*, unicâ elisâ lit. N. membranæ pergamenæ inscriptum, præsentissimum esse ad depellenda incendia remedium, *Monsieur Grandhomme*, Chirurgiæ Doctor, Parisiis versanti mihi An. 1667. nescio an per jocum vel seriò, manifestavit; si enim frustillum, ajebat, pergamenæ in formâm trianguli æquicruri basi majori insistentis scindatur, & sanguine Salamandrino vox *Salamanadra* rectè in illud scribatur, atq; hoc sub pedem alicujus Solis Eucharistici, (est Hierotheca turrita sive arcula S. Hostiæ apud Pontificios) altari imponatur, donec XI. Missæ fuerint celebratæ, indeq; postea repetitum futuros in usus asservetur, fieri, ut, si quis præmissis debitis ceremoniis, igni id ex illâ parte injecerit, quâ quàm maximè flagrat, ut extemplò incendium prorsus extinguatur: Scribi autem SALAMANADRÆ nomen debere h. m.

✠
S
a a
l l l
a a a a
m m m m m
a a a a a a
n n n n n n
a a a a a a a
d d d d d d d d
r r r r r r r r r
✠ A A A A A A A A A A ✠

Non abſimilis modus febrim fugandi Q. *Sereni* fuit Abracadabra, quod hemitritæo dietim ordine retrogrado minuendum præſcripſit, quando in Medicinâ ſuâ de Hemitritæo depellendo ita loquitur:

Mortiferum magis eſt quod Græcis ἡμιτεταῖον
Vulgatur verbis: hoc noſtrâ dicere linguâ
Non potuere ulli, puto, nec voluere parentes.
Inſcribis chartæ quod dicitur Abracadabra:
Sæpiùs & ſubter repetis, ſed detrahe ſummam,
Et magis atq; magis deſint elementa figuris:
Singula quæ ſemper rapies, & cætera figes,
Donec in anguſtum redigatur litera conum.

Rob. Keuchen. *ſuper h. l.* Ad hunc nimirum, ait, modum & figuram chartæ inſcribes *Abracadabra*, & collo annectes, dietim ordine retrogrado minuens.

A B R A C A D A B R A
A B R A C A D A B R
A B R A C A D A B
A B R A C A D A
A B R A C A D
A B R A C A
A B R A G
A B R A
A B R
A B
A

His confinia inveniri audio in R. HAMA *lib. ſpeculationis*, unde quamplurima Hebræorum ſuperſtitioſa ſcripta, ſigna, characteres, annuli, amuleta, φυλακτήρια, ἐπῳδαὶ, ἐξαρτήματα & ligaturæ natæ eſſe dicuntur: conferantur *Rob. Keuchen.* ἐν τοῖς περιλεγομένοις *ad Samonicum:* It. J. C. DANNHAWERUS, *Præceptor meus, quoad vivam, gratiſſimâ memoriâ colendus, in Act. I. Optic. Dramatic. Theat. II. phænom. II. p. 506. ſeq.* J. SELDEN. *de DIs Syr. ſyntag. I. c. 2.* KIPPING. *in Auctar. ad Papp. p. 156.* SAUBERT. *de Sacrif. p. 579.* ANDR. BEYERUS *ad Selden. de D. S. additament. p. 206. ſeq.* ut & Arabes, Cabaliſtæ atq; recentiores quidam Judæi.

CAP. X.

De Salamandræ Hieroglyphicis, Symbolis, Emblematibus, &c.

§. I.

ÆGyptii, ſi quiquam populi alii, ex hieroglyphicis picturis atq; ſculpturis animi ſui mentem ac voluntatem indicaturi; prout hoc vel illud oratione exprimendum erat, ita rem aliquam excogitarunt, quæ quoquo modo expreſſa, ſuâ aut formâ aut ingenio, aut natura, aut alio peculiari adjuncto, id oculis intuentium, & per hos animis eorum perpetuò repræſentaret. Quapropter *Hieroglyphica nihil aliud erunt quàm Imagines figuratæ ex quacunq; re creata, ad quamcunq; aliam ex inſtituto repræſentandam deſumtæ.* vid. JAC. MASEN. *in ſpec. imag. veritat. occult.* A. KIRCHER. *in obe-*

in obeliſco Pamphilio, PIER. VALERIAN. *in Hierogl.* NIC. CAUSSIN. *in Horo Apoll.* DIOD. SICUL. *in Bibl. Hiſt. l. 3. c. 2.* OLA. WORM. *l. 1. c. 21.* Si jam de *Salamandrâ* circumſpicio, haud uno eam ab Ægyptiis modo adhibitam fuiſſe invenio: Sanè *Horus Hierogl. 58. quomodo*, inquit, *Ægyptii ſignificant Hominem qui igne utatur?* R. "Ανθρωπον ὑπὸ πυρὸς καιόμενον βαλόμενον σημῆναι, Σαλαμάνδραν ζωγραφοῦσιν. ἄυτη γὰρ ἑκατέρᾳ τῇ κεφαλῇ ἀναιρεῖ, i. e. *Hominem qui igne comburatur dum ſignificant, Salamandram pingunt. Hæc enim utroq; capite interimit.* Ad quæ verba *Cauſſinus l. c. p. 66.* miratur *Geſnerus* vir multæ lectionis, Salamandras hîc dici bicipites, & meritò, plagam vidit, non tamen ſanavit. Exiſtimarim ego ſic legendum ἄυτη γὰρ ἑκατέρω τῇ κεφαλῇ ἀναιρεῖ. Ignem utrinq;, h. e. ab utroq; latere cingentem extinguunt, & id capite â quo maximè frigidus humor inſtillatur, quo Scholiaſtes Nicandri ignem extingui voluit. Porrò quando audis hominem πυρὶ καιόμενον exhiberi per Salamandram, intellige flammis obſeſſum, non conſumtum. Sic JAC. MASEN. *in ſpec. imag. V. O. lib. 6. c. 6. §. 2.* Salamandra in igne, homo eſt, qui in igne non conſumitur, ut de illâ conſtat. Malè igitur *Aldrov. l. c. pag. 645.* At Orus Apollo, ait, ſcriptis mandavit, quòd ſignificaturi (Ægyptii) hominem combuſtum, iconem Salamandræ exhibebant, idq; præſtabant, quoniam hæc beſtia ignis amica eſſe feratur. Melius autem idem ille in antecedentibus mox lineis; Ceterum, inquit, Sacerdotes Ægyptii cum vellent denotare hominem ab igne circumfuſo minimè offenſum, Salamandram effigiare conſueverunt, cùm hæc ſuper prunas gradiens nullo incommodo affici dicatur. PIER. VALERIANUS *lib. 16. Hierogl.* ad demonſtrandum hominem rerum omnium corruptorem, Salamandram pingi poſſe tradit, ſiquidem hæc ſi arborem irrepſerit, omnia poma oris ſalivâ adeò venenat, ut inde omnibus deguſtantibus necem afferant. Inſuper ſunt, *(ceu Aldrov. l. c. ex Valerian. annotavit,)* qui per iconem Salamandræ in igne poſitæ, **Amatorem** oſtentent, (cùm vulgatum ſit apud omnes, amorem ſimulacro ignis denotari,) quamobrem cum Amator vitam in æſtu degat, eruditè feciſſe opinantur, ſi figu-

ſi figuram Salamandræ, ad demonſtrandum Amatorem pinxerint? Hoc autem à *Valeriano* minimè probatur; cum Salamandra rigore ſuo incendium extinguens, in igne nequaquam moretur; quod Amatores ſe præſtare profitentur. G. NAZIANZEN. *in vita Baſil. M.* pro Hieroglyphico Conſtantiæ ſimulacrum Salamandræ aſſumens, ſe & Baſilium in Athenarum δεισιδαιμονίᾳ ſalvos & ſanos eſſe conſervatos gloriatur. Verba ejus ſunt; *καὶ ἔστις ἐστὶν ἢ πιστεύεται ποταμὸς, δι' ἅλμης ῥέων γλυκὺς, ἢ ζῶον ἐν πυρὶ σκαῖρον, (Salamandram intelligi patet ex ejus paræn. ad Virg. verſ. 580.) ᾧ τὰ πάντα ἁλίσκεται, τοῦτο ἡμῶν ἡμεῖς ἐν πᾶσι τοῖς ἥλιξι; & ſi quis eſt aut eſſe creditur fluvius, dulcedinem ſuam in ſalſo mari retinens, aut animal in igne ſaliens, à quo cuncta domantur, id ſcil. ego & Baſilius eramus inter omnes æquales.*

§. 2. De *Symbolis* à Salamandra deſumtis nonnulla dicturus, non digrediar in pleniorem eorum διεξήγησιν, legat qui velit CL. PARADIN. *Dedic. in Symbol. Heroic.* quin ſtatim de FRANCISCI decantatiſſimo illo Symbolo initium faciens, vix ullum tàm multiformiter depictum & multipliciter expoſitum reperio. *Aldrov. l. c. p. 645.* Franciſcus I. Rex Francorum, ut annotat *Sadelerus in lib. Symbolorum*, picturâ Salamandræ in flammis pro ſymbolo delectabatur, cum dicto NODRISCO IL BONO, E SPENGO IL REO. Innuebat enim ſe Viris probis favere, malos autem extinguere & diſſipare. Vel, ut alii volunt, hoc ſymbolo docebat, ſe feritatem depoſuiſſe, & ardentem benignitatis amorem erga omnes virtute præditos nactum fuiſſe. JAC. MASEN. *in ſpec. imag. V. O. l. 6. c. 6. p. 398. n. 19. Franciſc. Valeſ. l.* Francorum Regi ſymbolum iſtud tribuit h. m. *Salamandra ſub corona in ignibus*: inſcript. *Nutrio & extinguo*; nempe flammas amoris. CL. PARADIN. *in Symb. Heroic. p. 19.* de hoc ſymbolo annotavit ſeqq. Nobiliſſimi ac magnificentiſſimi Gallorum Regis *Franciſci* ſymbolum erat, Salamandra flammis incubans. *Et poſt pauca interjecta, ſcribit:* Atq; memini me vidiſſe effigiem Regis hujus, ipſius pubeſcente adhuc forma, ære inſculptam, ex cujus adversâ parte extabat Salamandræ ignea typus; additâ hac inſcriptione Italicâ: Nudriſco il buono, & ſpen-

& ſpengo il reo, *alo bonos ac perimo malos.* Plerisq; etiam aliis locis, parietibus, ac palatiis paſſim ; nominatim apud Fontem-Bellaqueum; viſa nobis eſt in pretioſiſſimis aulæis opere plumario expreſſa hoc diſticho:

Urſus atrox, Aquilæq; leves, & tortilis Anguis,
Ceſſerunt flammæ jam Salamandra tuæ.

Sr. DeMEZERAY *dans l' Abregé Chronologique de François 1.Roy.p.6 39.* I' avois oublié, *ait*, de marquer qu' il (François. I.) avoitpris pour deviſe une Salemandre dans un feu, avec ces mots, *nutriſco & extinguo*, je m' y nourris & je l' eſteins, i.e. *oblitus eram notare, ſumſiſſe illum* (Franciſc. I.) *loco Symboli Salamandram in igne, cum hoc lemmate, Nutriſco & extinguo*, Nutrior eo, & eum extinguo. Ego, cum Numiſma quoddam apud Virum Nobilem & Integerrimum, DN. JOH. ANDR. VIATIS, Norimbergenſis Reip. civem primarium, aſſervari audirem, in quo præter FRANCISCI. I. imaginem, etiam *Salamandra* effigiata eſſet, parario *amiciſſimo DN. Reſpondente meo*, adſpiciendum illud, pro eâ qua eſt erga Muſarum alumnos facilitate atq; humanitate, ſine ulla tergiverſatione obtinui, quod cum Numiſmate eo, quod p. d. DN. JOH. RÖTENBECCIUS, *Phyſicus quondam Reip. Noribergenſ. ordinarius, ejusdemq; Noſocomii Medicus feliciſſimus, Cognatus meus eheu! deſideratiſſimus*, inter cetera cimelia reliquerat, conferendo, vidi, ovum vix ovo ſimilius eſſe, eaq; propter, quod nihil adhuc de illo apud Autores, mihi quidem lectos, annotatum inveniretur, ex dictis duobus Numis plumbeis, accuratè tàm typo, quàm magnitudine obſervatis, in æs inciſum eſt, uti Lit. A. illud præ ſe fert. Erat equidem mihi animus fuſiùs hæc ipſa pertractandi, atq; numum iſtum diligentiùs expendendi, ſed tempore atq; aliis cauſſis urgentibus, propoſitum intercidere coactus ſum: amplector interea EMAN. THESAUR. *Comitis & Major. Inſign. Equitis Inſcriptionem p. 145. n. 15.* Ludovicæ Philiberti Sororis, Franciſci Regis Matris; cùm abſente filio Regnum regeret: Salamandra inter flammas, NUTRIO ET EXTINGUO. Nimirum, *Bonos fovebo, malos opprimam*, ut quidam explicant: niſi verior ſonaret Inſcriptio Italica, MI NUTRISCO ET ESTINGUO.

GUO. *Nutrior & Extinguo*; quam Franciſcus etiam Filius in clypeo geſtavit. *conf. Pichinell. Mondo Simbolico.* Deinde Salamandra in Æternitatis exprimendæ conſortium aſſumitur, *vid.* HIER. DREXEL. *de Æternit. Medit. II. p. m. 35. it. p. 40. conf. figuram lit. B. ſignatam.* Præterea in multorum Operum initio, infit *Aldrov. d.l. p. 645.* meminimus conſpexiſſe Salamandræ flammis circumdatæ iconem, hoc dicto coronatam; SIC CEDIT INVIDIA VIRTUTI: Fortaſſis quoniam Autores Operum, evaginatam detractorum linguam contemplabantur. Iterum vidimus prima fronte alicujus libri figuram Salamandræ in igne cum inſcriptione; EXTINXI NON EXTINCTA; cum Autor Operis Zoili ignículos reſpiceret, qui dum famam Autoris extinguere nititur, tandem ipſe diſſipatur & aboletur. *Ego pariter* in T. VAN DOMSELAER *Belegh en Ontzet van Leyden*, vidi mox in pagina prima ſculptam Salamandram in igne, anguineo circulo circumdatam, ſubſcriptâ voce, PERSEVERANTER. Taceo D. DERODONIS, aliorumq; Scriptorum quamplurima in hunc modum adornata frontiſpicia. Pro Symbolo Conſtantiæ Salamandram uſurpat NICOL. CAUSSIN. *in Polyhiſt. Symbol. l. 9. Parab. 60. p. 453.* Salamandra, inquiens, non modò in igne lætari dicitur ac vivere, ſed eum ipſum extinguere. &c. *Apodoſis.* Salamandra ſymbolum eſt Conſtantiæ, quæ inter miſeriarum incendia triumphat. Pro Symbolo Patientiæ Salamandram adhibiturus, rectè cum CAUSSIN. *l. cit. parab. 61.* dicitur Virtus inſtar Salamandræ per medias tempeſtates in lucem erumpere. *Horat. l. 4. Od. 4.*

Sic Gens cremato fortis ab Ilio
Jactata Tuſcis æquoribus, ſacra
Gnatosq́, maturosq́ Patres
Pertulit Auſonias ad urbes.

§. 3. Idem CAUSSIN. *l. c.* Salamandræ ortum comparat cum Improborum vita, quæ ſit ruina communis. Salamandra, inquit, feralis bellua, Jove (ut ajunt) tonante, ſævientibus nimborum procellis, & fœda imbrium illuvie longè lateq; omnia inundante,

prodit in lucem. *Apodosis.* Improbi & scelerati homines ex rapinis & civili cruore concreti, tanquam funestissima animalia, tum demum nascuntur, cum civilibus ruinis deformata infelix patria languet & contabescit. --- *Hoc semine crescunt.* PERCIVALLUS *in lib. Insignium* (referente *Aldrov. l. c.*) narrat, quendam virum nobilem & eruditum pro phrenoschemate pinxisse Salamandram supra carbones accensos jacentem, cum hoc dicto; AB IGNE ORTUS ET OCCASUS IGNIS; quasi denotare vellet, se perpetuis flammis agitari. Item CAMILLUS DE CAMILLIS Scriptor Italicus assignat phrenoschema cujusdam Academici PHILARMONICI nuncupati, qui ut exprimeret, se potissimùm **Musicæ,** deinde ceterarum etiam Virtutum ingenti desiderio flagrare; pinxit Salamandram in igne, cum dicto; INTUS AD OMNEM. Prædictis, tanquam affinia, simulacra elementi Ignis & nocumenti addidit *Aldrov. l. c. p. 646.* Etenim RIPA *in sua Iconologia Par. 1.* ut elementum Ignis repræsentaret, delineavit mulierem ambabus manibus Vas carbonibus accensis plenum tenentem, cum icone Salamandræ in igne. Sic etiam SADELERUM delineasse mulierem, alterâ Jovis fulmina jaculantem, & altera Salamandram attingentem, à tergo ardentibus montibus circumseptam, in memoriam mihi redit, utq; oculis etiam sculptura præstantissimi illius Chalcoglyphi exhiberetur, sub lit. C. descripta prostat. Ex puro quippe Ignis elemento cum Salamandra vivere vulgò diceretur, ad elementum quoq; ignis repræsentandum Salamandra esse aptissima videbatur, ut ita quodlibet elementum, animal quo indicaretur, haberet: Atq; hinc credo versiculi nati sunt isti;

Halec *unda fovet*, Salamandraq; *pascitur Igne*,
Aëre Chamæleon; *Telluris munere* Talpa.

Versus non constat, notante MASEN. *in Spec. J. V. O. l. 6. c. 64. p. 743.* nisi corruptè *Machaleon* vel *Mæchaleon* legas: legi tamen ego etiam per, e, simplex, *Cameleon*, h. m.

Hale-

Halecem *unda fovet*, Salamandria *pascitur igne*,
Aëre Cameleon, *telluris munere* Talpa.

vid. Antidot. Melanch. Jocoser. p. 54. Eosdem hos versiculos invenire itidem licet in *Vocabulario* YNGELHUSII *ms. ad voc. Salemandra*; sed paulò aliter locatos: e. g.

Quatuor ex puris vitam ducunt Elementis,
Talpam *terra fovet*, Chamæleon *aëre vivit*,
Hallec *unda fovet*; *flammæ pascunt* Salamandram.

Deinde in exprimendo rerum omnium nocumento, ante nominatus RIPA, hominem turpem ambabus manibus Salamandram stringentem figuravit: Nam veluti hæc bestia omnia, quæ tangit, venenat; sic homo improbus eorum, cum quibus versatur, mores inquinat. Neq; hîc omittendæ fuerint usu creberrimæ at explicatione diversissimæ Literæ istæ, S. P. Q. R. præterquam enim, quod ad Salamandræ etiam naturam indigitandam à quibusdam hominibus adhibeantur, dum eas coalescere faciunt h. m. Salamandræ Pruna Quietem Reddit; sic variis aliàs quoq; explicationibus subjacere solent; referam quas scio: indicari ergò per quatuor hasce literas creditur (1.) *Senatus Populus Que Romanus*, (2.) *Si Peu, Que Rien*, i. e. so wenig als nichts / (3.) *Stultus Populus Querit Romam*; ex mente Bedæ, (4.) *Sancte Pater Quare Rides?* huic respondens Papa dixisse fertur, literas à tergo assumendo h. m. *Rideo Quia Papa Sum.* *Vid. Tuning. Apophr. Gall. p.* 81. (5.) Sibylla has IV. literas de DEO ita interpretata est; *Salva Populum Quem Redemisti*, (6.) Italus quidam Romam intrando, eas exposuisse, scribitur, hoc pacto; *Sono Poltroni Questi Romani*, (7.) Protestantes Germaniæ ita; *Sublato Papa, Quietum Regnum*, (8.) Catholici ità; *Salus Papæ, Quies Regni.* Quæ adhuc alia Symbola, Phrenoschemata, Simulacra, &c, afferri possent, lubens prætereo. *conf. interea* W. FRANZ. *in H. A. P.* 1. *cap.* 26.

§. 4. Antequam Salamandram ad Emblemata quoq; conficienda utilem esse demonstrem, cum JAC. CATSIO *κατ' ἐνδοξ.* VISU CATOS CIBAS *in Protei* ofte Minne-beelden verandert in Sinne-beelden *præfat. p.* 15. pronuntio: Emblemata, *scitè exhibita, mutas imagines esse, quæ tamen loquantur: legia videri, quæ tamen pondus habeant: ridicula apparere, cum non sint insipida: denique plus aliquid plerumq; in his legi, quàm sit scriptum: plus cogitari, quàm sit lectum.* Producam verò Salamandrina Emblemata. VII. nempe. (I.) Poëta quidam vetus in Anthologiâ *Sect.* I. *tit. in Invidiam*, Salamandram in igne, cum lampade proximo colliculo impositâ excogitavit, cujus cælatura ad lit. N. repræsentatur (II.) in libri B. A. N. frontispicio, titulus invenitur iste; Trophæum invictæ Veritatis, emblema tituli est, Atlas Orbem fractum humeris sustentans, atq; tota corporis mole manibusq; Scuto cuidam incumbens, cum hoc lemmate; Impavidum ferient ruinæ: ante Dedicationem positum est Emblema istud; Salamandra in igne, quæ intrepida uritur & alitur; cum hoc lemmate, Virtus non uritur, sed oritur Igne. (III.) OTTO VA-

NUS

NUS *in ſuis Emblem. p.* 228. Salamandram infernè in igne, & ſupernè volantem Cupidinem geminas faces in manibus tenentem, eleganter effinxit, cujus Schema *vid. ad lit. M.* (IV.) *in Anonymi Emblemat. Amator. IV.* extat Emblema ſpecioſiſſimum, quod inde excerptum, & ad *lit.* L. collocatum eſt. (V.) in JOACH. CAMERAR. *Cent. IV. embl.* 69. ex Salamandra flammis inſidente emblema conſpicitur cum tali inſcriptione; Candidè & Sincerè; atq; ſubſcriptione iſtâ:

Ambulat en medios Salamandra illæſa per Ignes;
Nempe illæſa manet ſemper & Integritas.

(VI.) cum Dresdæ An. 1630. FRIDERICI Holſatiæ Ducis Pompa Nuptialis celebraretur, inter alia etiam Ignium artificioſorum excitatio ſpectantium oculos recreabat, inq; illis multiplicia emblemata eminebant, maximè illud, quod horrendam ſpecioſo tegmine Fraudem in habitu muliebri repræſentabat, cui ad ſiniſtrum latus *Salamandra* juncta fuit. *vid. Relat. Francof. de A.* 1630. (VII.) ANDR. MAX. FREDRO *in Script. Fragment. Periſtrom. XVI.* Salamandræ in igne ſtabulantis appoſuit Emblema, cum epigraphe hac, QUÆ AD NATURAM, NON NOCENT: Hæc ipſa verba declaraturus p. 365. infit; *Salamandra igne nutritur, Struthioni ferri paſtus ſaluti eſt, nam illi & huic utraq; pro natura ſunt, aut ſecus ſi convertantur in mollius nutrimentum, omninò ſint nocitura. Etiam populis quibusdam non pro natura aliarum Rerump., ſed plane ab aliis diverſa gubernandi ratio, & conſilia ſuccedunt, licet opinioni & uſurpatis vulgò inſtitutis contraria, ſed tamen quia naturæ ſuæ accommodata, ideoq; conſervant ſtatum.* Eſſet hîc excurrendi occaſio in Loc. comm. Politic. *quibus modis & mediis conſervari queat vel debeat aliqua Reſp.*, ſed cum jam antea, præter opinionem, Salamandræ tractatio excreverit, neq; illam apprehendam, neque plurima, quæ adhuc ſupereſſent de Salamandra cognoſcenda, hac vice perſequar; Sed *Salamandrarum Venenum, Ladendi modum, Curationem, Generationem, Ætatem, Loca, Victum, Auguria, Moralia, Epigrammata, Epithera, Uſus in Medicina, Uſus in variis, Proverbia; Hiſtorica, Fabuloſa, &c.* omnia, inquam, iſta, & id genus plurima alia in aliud, DEO annuente, commodius tempus rejiciendo, extrema lineamenta Diſcurſui præſenti addo, ſi prius COMENIANA iſta ſubjunxero: Invenimus nempe nos infinita in aliorum laboribus menda: Inveniantur etiam in noſtris, qui extra humanam ſortem (*in tanta præcipuè præcipitatione,*) nos ponere non potuimus.

ALTDORFFII,
Caſſitero Meyeriano,
A. R. M. cIↃ. IↃc. LXXVII.

:(o):

XI.

SIc TU qui Phyſices vigili ſcrutatus abyſſos
Es Studio, cordis portio cara mei
Dum *Salamandrarum* naturam exponere tentas,
Divini *flammas* exeris ingenii.
Res levis haud eſt hæc, verùm digniſſima laude,
Res operæ multum poſcit, & ingenii.
Perge modò conſtans, & quò TE gloria dulcis
Ducet, TU lætus dirige ſemper iter.
Perge TUIS Patriam Studiis ornare, viamq́;
Decurre hanc, tandem præmia digna feres.

Hæc in veræ ac infucatæ amicitiæ τεκμήριον
Nobiliſſimo DN. RESPONDENTI, *Convi-*
ctori ſuaviſſimo, amico chariſſimo gra-
tulanti animo appoſui

Johannes Georgius Grambs,
M. F.

XII.

ARdua difficili præbet ſe Gloria niſu,
Quæ niſi multijugo parta labore, jacet.
Scilicet hæc rerum ſeries, ea gratia mundi eſt,
Ut benè certantem certa corona beet.
Euge Tuis cœptis cælo benedicat ab alto
Rector, qui novit ducere cœpta pia.

Ita *φιλίας ἕνεκα* Commenſali ſuo exoptatiſſimo de publico Eruditionis ſpecimine gratulabundus aſſurgebat

Otto Henricus Webel.

XIII.

Gniculi, raræ fœcundaq; ſemina mentis,
Nunc, grege Pierio, ſpiſſis latitare ſub umbris,
Applaudente ſimunt. Surgentibus obvius auris
Ignis adeſt, quem TU, Decus immortale ſororum
Theſpiadum, WURFFBAINE foves, & fomite pingui
Erigis, ut doctum colluſtret torridus orbem.
Hoc monſtrat nullo *Salamandra* cremabilis *igne*,
Hoc etiam nullo ſparſæ diſcrimine dotes,
Ingenii ſuadent, hoc confirmare videtur
Conſenſu, valido cantus medicamine, Pæon.
Hinc dicam: ſupereſt ſcriptis pertexere perge
Incœptam fauſtè ſuadente Machaone telam:
Sic TUA Phœbæâ floreſcent tempora lauru,
Sic & Apollo TIBI meritos mox ſolvet honores.

Hæc Nobiliſſimo DN. RESPONDENTI,
Fautori & Commenſali ſuo amiciſſimo
gratulabundus apponere voluit
Joh. Conradus Rapp, Oeringenſ.
Med. Stud.

Al Sig.re Diffendende.

Molto Illuſtre e Clariſſimo Signore,

Signore e Patrone mio Co-

lendiſſimo.

TRà i feſtiuoli applauſi, che vengono à gara publicati con ingegnoſi verſi dagli Amici di V.S. molto Ill.re, per celebrare le lodi, dovute al ſingolare ſuo merito, io non debbo ſtare, come dice il Proverbio, colle mani à cintola; ſentendomi

tanto

tanto più obligato à lei, quanto la ſua gentilezza và giornalmente aumentando i ſuoi favori verſo di me, ſenza alcun riguardo della mia debole ſervitù. E veramente non poſſo esprimere l' allegrezza del mio cuore, vedendo il ſuo ſpirito, ſpronato dalla gloria, non nudrire altri penſieri, che di ſtudiare giorno e notte con applicazione infatigabile le belle lettere e le ſalutevoli maſſime della ſavia famiglia d' Eſculapio, e che V. S. non contenta di chiudere nel riſtretto del ſuo gabinetto le ſue virtuoſe operationi paleſa al publico i ſaggi del ſuo rilevato ingegno, e con queſti vaghiſſimi fiori fà vedere chiaramente al Mondo letterato, quanto eccellenti habbino da eſſerne i frutti. Onde è, che havendo lei ſempre mai ſcielto materie pelegrine è ſtraordinarie, come convenevoli alla rarezza delle ſue impareggabili doti, và adeſſo ſpiegare l' eſſere e le qualita della Salamandra, animaletto, piccolo sì, mà che la Natura, provida Madre, ſotto l' invoglio d' un corpicello, imbellito di mille lucenti macchie, come tante preziose gioie, hà privileggato con una certa virtù, che può reſiſtere illeſo alle più cuocenti fiamme di qual ſi voglia fuoco. Il che conſiderando quel gran Rè di Francia Franceſco primo, volſe ſceglierlo per ſua impreſa, col motto; Nudriſco il buono, e ſpengo il

reo.

reo. E che mi pare altro, se non simboleggiata in questa bestiolina la costante diligenza, colla quale V. S. abbraccia gli studii, al dispetto de' fiammeggianti strali dell' invidia e di mille fatiche, che sogliono accompagnare ordinariamente questo nobilissimo essercizio; il tempo non scemando, mà accrescendo la di lei generosa ambitione d' eternizare il suo nome col mezzo d' una professione tanto lodeuole. E come il suo divino ingegno tiene del fuoco, così in guisa di questo leggiero e leggiadro elemento, spartendosi dalla terra del volgo con velocissimo volo si leva in alto, penetrando con la sua naturale agutezza ogni più sublime scienza. Taccio le altre belle qualità, che imprimono la stima di V. S. nell' animo di tutti quelli, che godono l' honore di connoscerla: già che la rozzezza della mia penna non ardisce sbozzare un soggetto, che ad ogni altra più assottigliata porgerebbe un campo vastissimo da essercitare il suo valore; bastandomi per hora di poter accertarla con queste righette, che essendosi ella degnata di annoverarmi trà i suoi servitori, io farò ogni sforzo di mantenere quel posto considerabile colla mia servitù, bramosa di qualche occasione favorevole di poter cangiare in un' ossequioso effetto lo svisceratо affetto, col quale augurandole ogni più desiderabile contentezza mi dedico

di V. S. molto Ill.re

Humillissimo & obligatissimo servitore

di Villavecchia
li 20. di Giugno
1677.

E. G.